CORPUS

SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

Vol. 116

SCRIPTORES SYRI

TOMUS 63

THEODORI MOPSUESTENI

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM IOHANNIS APOSTOLI

INTERPRETATUS EST

J.-M. VOSTÉ, O.P.

LOUVAIN
SECRÉTARIAT DU CORPUSSCO
WAVERSEBAAN, 49
1940

CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
DE LOUVAIN-WASHINGTON

Les volumes du CSCO sont actuellement désignés par un sigle en deux parties qui exprime leur numéro d'ordre dans la *collection* et leur numéro d'ordre dans la *section* à laquelle ils appartiennent (Aeth. = éthiopienne, Ar. = arabe, Arm. = arménienne, Copt. = copte, Iber. = géorgienne, Syr. = syriaque, Subsidia); quand le volume est une version, la seconde partie du sigle est mise en italiques, — par exemple, CSCO 133 / Syr.68 (qui est un texte), mais CSCO 134 / *Syr.69* (qui est une version). Dans le présent Catalogue général, la désignation utilisée autrefois pour les vol. 1-123 et 125 fait suite à la désignation actuelle; T indique un volume de texte, et V un volume de version.

Le Catalogue général est envoyé sur simple demande adressée au secrétaire général de la Collection.

Souscriptions, commandes, offres de collaboration et, d'une manière générale, toute correspondance relative au CSCO doivent être adressées comme suit :

Professeur René DRAGUET,
Éditeur du CorpusSCO
49, Chaussée de Wavre, LOUVAIN-HÉVERLÉ, Belgique.

Derniers volumes parus

245 / *Syr.105*. R. HESPEL, *Sévère d'Antioche. La polémique antijulianiste.* 1964. IV-246 p. — T : vol. 244. Cfr vol. 94, 102, 112, 120, 134.
246 / Syr.106. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Ieiunio.* 1964. III-46 p. — V : vol. 247. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218, 223 et 240.
247 / *Syr.107*. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Ieiunio.* 1964. II-37 p. — T : vol. 246. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224 et 241.
248 / Syr.108. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Paschahymnen.* (*De azymnis, de crucifixione, de resurrectione*). 1964. IV-98. — V : vol. 249. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218, 223, 240 et 246.
249 / *Syr.109*. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Paschahymnen.* (*De aeymnis, de crucifixione, de resurrectione*). 1964. II-86 p. — T : vol. 248. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224, 241 et 247.
250 / Aeth.47. C. CONTI ROSSINI col concorso di L. RICCI. *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob* (*Maṣḥafa Berhān*), I. 1964. XI-165 p. — V : vol. 251.
251 / *Aeth.48*. C. CONTI ROSSINI col. concorso di L. RICCI. *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob* (*Maṣḥafa Berhān*), . 1965. V-98 p. — T : vol. 250.
252 / Syr.110. A. DE HALLEUX, *Martyrius* (*Sahdona*). *œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 164 p. — V : vol. 253. Cfr vol. 200, 214, 254.
253 / *Syr.111*. A. DE HALLEUX, *Martyrius* (*Sahdona*). *œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 171 p. — T : vol. 252. Cfr vol. 201, 215, 255.
254 / Syr.112. A. DE HALLEUX, *Martyrius* (*Sahdona*). *œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 108 p. — V : vol. 255. Cfr vol. 200, 214, 252.
255 / *Syr.113*. A. DE HALLEUX, *Martyrius* (*Sahdona*). *œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 124 p. — T : vol. 254. Cfr vol. 201, 215, 253.
256 / Subs., 24. J. MOLITOR, *Synopsis Latina Evangeliorum Ibericorum Antiquissiorum secundum Matthaeum, Marcum, Lucam desumpta e codicibus Adysh, Opiza, Tbeth necnon e Fragmentis Biblicis et Patristicis quae dicuntur Chanmeti et Haemeti.* 1965. VI-301 p.

(voir suite au recto)




CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

SCRIPTORES SYRI

SERIES QUARTA

TOMUS III

VERSIO

MDCCCCXL

THEODORI MOPSUESTENI
COMMENTARIUS
IN EVANGELIUM IOHANNIS APOSTOLI

INTERPRETATUS EST

J.-M. VOSTÉ, O. P.

LOVANII

EX OFFICINA ORIENTALI

MDCCCCXL

PIAE MEMORIAE REVERENDI

M.-J. LAGRANGE, O. P.

anno quinquagesimo a condita Hierosolymis Schola Biblica
(1890-1940)

DEDICAT INTERPRES



PRAEFATIO

Theodorus Mopsuestiae episcopus, inter scriptores ecclesiasticos qui exeunte saeculo quarto et ineunte quinto floruerunt, praecipuum cum Iohanne Chrysostomo tenet locum. Natus Antiochiae circa annum 350, ad episcopatum evectus est anno 392, et anno 428 senex obiit. Eius vitam enarrare et numerosa opera recensere ad Patrologiam graecam pertinet [1].

Cum autem Concilium oecumenicum quintum tum auctorem tum opera anathemate perculerit, factum est ut horum operum pars maxima evanuerit; sed plura, et nonnulla quidem adhuc vivente auctore, in syriacam linguam translata fuerant et ad nos in hac versione pervenerunt. Inter ista eminet eius *Commentarius in evangelium secundum Iohannem*, quem edere aggressi sumus. Pauca itaque de eo hic praefari decet.

Hunc librum opus esse Theodori nemo dubitavit. Ceteroquin ipse auctor in commentario in epistulam ad Colossenses (I, 17) remittit ad suam Iohannis interpretationem [2].

Leontius Byzantinus († 543), Theodori acerrimus impugnator [3], et Facundus Hermianensis, in opere *Pro defensione trium Capitulorum* [4], scripto circa annum 571, ad eumdem Mopsuesteni commentarium in Iohannem alludunt.

In *Actis Concilii Constantinopolitani* II (553), et in *Constituto Vigilii papae*, varia loca huius commentarii, varias ob rationes, nota inuruntur [5]. Coll. IV, 13 (Vig. *Const.* 14) citatur Ioh. XX, 17; — Coll. IV, 14 (Vig. *Const.* 15) citatur Ioh. XX, 22-23; — Coll. IV, 15, (Vig. *Const.* 16) citatur Ioh. XX, 27-28;

[1] Cf. O. BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchl. Literatur*, III (1918), p. 312 sqq., et quoad opera exegetica KIHN, *Theodor von Mopsuestia and Julianus Africanus als Exegeten* (Freiburg, 1880). — [2] Cf. H. B. SWETE, *Theodori ep. Mops. in epistulas minores B. Pauli*, t. I, p. 273. — [3] *Patr. Gr.*, LXXXVI, 1, col. 1384-1385. — [4] Lib. IX, cap. III (citatur commentarius in *Ioh.*, I, 10) *Patr. Lat.*, LXVII, col. 746. — [5] I.-D. MANSI, *Sacr. Conciliorum nova et amplissima Collectio* (1763), vol. IX, col. 203 sq. *Constitutum Vigilii Papae* legitur ibidem, col. 61 sq., et *Patr. Lat.*, LXIX, col. 67 sq.

— Coll. IV, 26 (Vig. *Const.* 27) citatur Ioh. I, 51 [1]; — Coll. IV, 33 et 34 (Vig. *Const.* 33-34) citatur Ioh. I, 49.

E graeco originali textu Theodori deperdito supersunt etiam in Catenis fragmenta haud pauca, quae edenda suscepit R. Devreesse [2].

Syriaca versio Commentarii in quartum evangelium, iam saeculo octavo adhibita est a Lazaro de Beth Qandasa, allegante Theodori interpretationem in Ioh. II, 19 et III, 8 [3]; citatio vero eius fere verbatim concordat cum textu nostro.

Medio saeculo nono Išoᶜdad Mervensis, cuius commentarii in evangelia recenter a Margarita D. Gibson editi ac translati sunt, frequenter allegat theodoream interpretationem in quartum evangelium [4].

Similiter, Catena in lectionarium nestorianum saeculi decimi, quae dicitur *Gannat Bussāmē,* scatet citationibus desumptis e variis Interpretis commentariis [5].

Saeculo decimo tertio demum, opus anonymum quod vulgo *Chronique de Séert* dicitur [6], et ᶜAbdišoᶜ Ṣobensis, in *Catalogo librorum syrorum* [7] referunt Theodorum interpretatum esse evangelium iohanneum.

Versionis syriacae commentarii unus tantum notus est codex antiquus, in Chaldaeorum monasterio dicto a B. Maria Virgine Segetum Custode, prope Alqoš [8] asservatus; ex eo fluxerunt

[1] Apud MIGNE, *Patr. Gr.*, LXVI, col. 703-704, traditur fragmentum tamquam theodorei commentarii *in Matthaeum*; at, prout iam notavit Mansi, *op. cit.*, col. 214: « veteres libri habent sec. Iohannem Evangelii », et textum revera legimus correspondenti loco versionis syriacae. — [2] *Notes sur les chaînes grecques de Saint Jean* (*Revue Biblique*, 1927, p. 192-215). *Le Commentaire de Théodore de Mopsueste sur les psaumes* (I-LXXX), (*Studi e Testi* 93; 1939, p. VI). — [3] Cf. ED. SACHAU, *Theodori Mopsuesteni fragmenta syriaca* (Lipsiae, 1869) p. 101-102; trad. p. 62; A. BAUMSTARK, *Geschichte der syrischen Literatur* (1922), p. 271. — [4] *Horae Semiticae* V-VII (Cambridge, 1911). Quoad citationes e commentario theodoreo *in Iohannem*, cf. V, p. XXXIII-XXXVI. — [5] Cf. *ibidem*, p. XXXI-XXXII. Cf. *Revue Biblique*, 1928, p. 221-232, 386-419; et 1933, p. 82; BAUMSTARK, *op. cit.*, p. 308-309. — [6] Lib. I, cap. LIII; *Patr. Orient.*, V, p. 290. — [7] *Bibl. Or.*, III, 1, p. 32. — [8] Cf. *Le Commentaire de Théodore de Mopsueste sur S. Jean, d'après la version syriaque*; (*Revue Biblique*, 1923, p. 522-551).

quattuor codices recentiores: Borgianus syriacus 77, Berolinensis syr. 80, Parisinus syr. 308, et Mingana 52. De his codicibus fusiore calamo scripsimus in Praefatione ad textum.

Divitur commentarius in septem *memrē* seu libros:
I: cap. II, 22; — II: cap. II, 23-V; — III: cap. VI-VIII; — IV: cap. IX-X; — V: cap. XI-XII; — VI: cap. XIII-XVII; — VII: cap. XVIII ad finem.

Ubi Theodorus dicta interpretatur sive Domini nostri, sive discipulorum aut aliorum, haec verbatim recitantur; narrationes vero historicae, quae breviore explicatione indigent, compendiose, paraphraseos instar, referuntur. Perpetua fit collatio inter Synoptica et quartum evangelium, sicut et inter varia Christi verba quae secum pugnare videntur. In dogmaticis, praecipue christologicis, textibus enucleandis multum immoratur Interpres, sedulo distinguens quae de Verbo et quae de Christo-in-carne dicuntur.

Commentarii fragmenta graeca quae, ope versionis nostrae latinae, e catenis excerpserat, nobis humanissime tradidit R. Devreesse.

Decet itaque ut erudito viro, et aliis qui quocumque modo nobis auxilium praestarunt, sincero animo gratias agamus, et memoriam quoque faciamus Pauli David, monachi Chaldaei anno 1936 defuncti, qui in prima adornanda versione valde nobis adstitit.

I. V.

Scribebam Romae kal. Febr. anni MDCCCCXL.

IN VIRTUTE TUA QUAE CONFIRMAT INFIRMOS, INCIPIT INFIRMITAS MEA TRANSCRIBERE COMMENTARIUM IOHANNIS EVANGELISTAE, EXARATUM A MAR THEODORO, EPISCOPO MOPSUESTENO, LIBRORUM DIVINORUM INTER- 5 PRETE.

Primo, praefatio ad illum qui eum rogavit.
Domine adiuva nos. Amen.

Prout etiam tibi notum est, o admirabilis et omnium episcoporum gloriosissime, Porphyri, circa alia scripturus eram; et 10 quidem intendebam aliquid dicere ad defendenda Basilii verba adversus iniquum Eunomium, praecipue quia video plures desiderare saltem audire sermones quos composuit deceptor ille. Ego vero etiam si viderem aliquem ita absque examine inclinatum ad librorum divinorum verba, non laudarem. Exis- 15 timo enim ad quamlibet rem accedere oportere cum investigatione et examine; ut, si quod inquirimus apparuerit nocivum, vigilantiam ingerat iis qui volunt ab eo cavere; sin vero contrarium post examen appareat, scilicet hoc esse bonum, atque solido argumento ita esse demonstretur, amore magno 20 tunc acceptum est iis qui illud possident.

Quia autem antiquius mihi est praeceptum tuum quam quod volebam facere, — opinor enim non sine gratia esse id quod tu praecipis, vir qui in tanta virtute ac tam bonis operibus vivis, — ideo reliqui quod facere intendebam, ac statim oboedio tibi, 25 et ad librum explicandum, prout iussisti nos, accingor. Iussisti nos — oportet * enim omnino et hoc dicatur, ut actio innotescat; * p. 4. iussisti nos sensum beati Iohannis evangelistae explicare, quia prae ceteris, prout tu quoque dixisti, eius intellegentia prodest.

Hic ergo labor multis proficiet, si Deo placeat. Credimus 30 vero hoc nonnisi precibus tuis fieri posse. Confidimus autem, quia iam non poteris oblivisci nostri; sed sollicitus eris ut opus dignum sit praecepto tuo, ne videaris in vanum praecepisse. Non permitto nunc orationem tuam suspendi, ut ea intercedente auxilium nobis mittatur a secreta Dei virtute. 35 Ideo et nos libentius ad hunc quam ad alios libros accedimus.

Propositum ergo nostrum circa hunc librum, auxiliante Deo omnipotente, hoc est: ne in verbis explicandis quidquam omittamus eorum quae aliis difficilia sunt, neque in iis immoremur quae omnibus sola lectione manifesta sunt. Non enim invidemus Asterio sophistae, neque imitabimur virum illum. Nam opere, quod circa hunc librum composuit, videtur mihi quaesiisse magis gloriam quam aedificationem; quatenus volumen diffusum, ab eo circa hoc subiectum exaratum, efficit ut legens nihil, ad veram evangelii intellegentiam utile, capiat; quia immoratur in iis tantum quae evidentia sunt, atque dolose multis verbis haec dicere studet.

Nos vero sicut in cuiusvis libri commentario attendimus ne superflua verba miscerentur expositioni, ita et nunc, in quantum fieri potest, faciemus. Interpretis enim hoc esse arbitramur, scilicet, ut verba, quae sunt plerisque difficilia, explicet; * praedicatoris autem ut, etiam quae clara sunt considerans, loquatur de eis. Huic aliquando et superflua usui sunt; ille vero oportet exponat simul et concise dicat. Attamen quando fieri nequit ut explicatio clara sit, nisi utamur verbis multis, — quod accidit quando incurrimus in versus, qui haereticorum dolo sunt corrupti propter morbum impietatis eorum, — tunc non recusamus ita eos pertractare, ut clare manifestetur quod desideratur. Magna circa hoc erit nobis cura; nam et hoc est interpretis officium, maxime illius qui accurate textum exponit, nempe ut non tantum cum auctoritate disserat, sed etiam sententiam verbis suis contrariam redarguat.

Primo igitur exponam opinionem meam circa totum librum; hoc enim expedit. Deinde ad verba explicanda accingar, Deo adiuvante. — Explicit praefatio.

Argumentum libri. — Iohannes evangelista unus ex Duodecim erat, et quidem omnium discipulorum iunior. Probus erat ac remotus a quovis studio naturalis astutiae; ideo magna fiducia erga Dominum nostrum utebatur, qui etiam Iohannem ceteris magis diligebat, prout expresse declaratur; quamvis frequenter inveniamus beatum Simonem fuisse primum. Sed circa hoc unusquisque, prout vult, sentiat; non est enim, opinione mea, res humana a nobis diiudicanda.

Verumtamen dicitur Dominus Iohannem magis ceteris dilexisse.

Post Domini in caelum ascensionem, longo tempore * discipuli Hierosolymis commorati sunt, vicinas civitates obeuntes, et cum iis, qui ex Iudaeis crediderant, circa verbum praedicationis colloquentes, donec magnus ille Paulus electus est et manifeste segregatus ad praedicandum gentibus. Temporis autem progressu, divina gratia suos praedicatores parte exigua terrae concludi minime permittens, diversis eos muniis ad remota loca emisit. Simonis (magi) siquidem professio beato Petro Romam proficiscendi occasionem dedit; aliis vero alio ad diversa loca: non enim ista recensendi modo tempus est. Sic porro beatus Iohannes Ephesum venit incoluitque, universam exinde Asiam peragrans, magnamque eius incolis praedicatione sua utilitatem afferens.

Tempore ergo illo editi sunt libri ceterorum Evangelistarum, Matthaei et Marci, necnon et Lucae; quippe qui et ipsi composuerint evangelia. Diffusum mox erat evangelium per universum orbem, omnesque fideles magno amore studebant lectione addiscere quae et qualis fuisset Domini conversatio in terra. Talia similiaque inveniuntur apud tres illos evangelistas descripta, hac sola differentia inter eos deprehensa. Dum unus credidit scribendum esse de nativitate Domini nostri in carne, et de iis quae hac occasione evenerunt; alius e contra statim a Iohannis baptismo exorsus est. Beatus Lucas vero incepit ab iis quae in nativitate Iohannis contigerunt, indeque transiens ad nativitatem Domini nostri, * venit et ipse ad Iohannis baptismum.

Verum cum fideles Asiani beatum Iohannem ad evangelium scribendum, et auctoritate ac fide ceteris praepollere existimarent, — ut qui ab initio cum Domino conversatus, maiore etiam ob dilectionem suam gratia donatus fuerat, — libros evangeliorum ei obtulerunt, ut eius circa quae in eisdem scripta sunt iudicium explorarent. Ipse autem scriptores uti veritati consonos multum laudavit; nonnulla tamen dixit ab eis praetermissa, et quidem miracula omnino narranda, doctrinam vero quasi ex toto apud illos deesse. Addebat insuper cum de Christi in carne adventu disseruissent, divinitatem quoque eius

silentio non esse praetereundam, ne temporis successu homines iis dumtaxat sermonibus assueti, id tantum Dominum nostrum fuisse crederent, quod ex verbis istis apparebat. Rogatus est itaque ab universis fratribus ut, quae maxime necessaria iudicaret et ab aliis praetermissa cerneret, diligenter scripto mandaret. Ipse autem sine mora statim opus aggressus est; turpe enim censuit ut propter neglegentiam unius damnum grave paterentur multi.

Propter hunc igitur finem intendit Iohannes evangelium scribere; quare statim a principio cum doctrina de divinitate exorsus est, hinc evangelicam institutionem necessario auspicandam ratus. Deinde ad incarnationis opus transiens, etiam ipse ad Iohannis baptismum accessit, quia perspectum habebat eorum, quae in adventu Christi in carne gesta aut dicta sunt, non aliud praeter hoc verissimum esse principium. * Verumtamen et ipse ad hoc perveniens, existimavit sibi scribenda esse quae ab aliis omissa fuerunt. Hoc fuit eius propositum inde ab initio; et tale est argumentum libri scribendi. Itaque refert verba quae dixerunt Iudaei Iohanni missis nuntiis ad interrogandum eum, ac responsa quae dedit ipse interrogantibus se[1]. At insuper magnam curam adhibuit, ut ordinate texeret narrationem suam, indicando scilicet quaenam prima die facta sint evenerintque atque ubinam, sicut quando dixit: *haec in Bethania facta sunt trans Iordanem*[2]. Deinde quae evenerint secunda die narrat, scilicet de discipulis qui secuti sunt eum[3]. Uno verbo, si quis diligenter examinet, inveniet eum illa tantum una cum aliis circa Iohannem Baptistam recoluisse, quae series factorum exigebat, et quorum omissio ipsi inconveniens videbatur.

* p. 8.

Ordinate prosequitur narrando quae ab illis praetermissa sunt, solusque memorat Christi praesentiam in convivio nuptiali[4]; atque expresse dicit hoc fuisse initium miraculorum[5]. Sermones quos ipse refert, fere omnes ab aliis fuerunt omissi, idemque contingit et quoad miracula. Si autem alicubi signum memorat ab illis iam relatum, absque dubio propter peculiarem

[1] Ioh., I, 19-27. — [2] Ioh., I, 28. — [3] Ioh., I, 35-51. — [4] Ioh., II, 1-11. — [5] *Ibid.*, 11.

utilitatem de eo mentionem facit. Verbi gratia, refert miraculum panum, quo nempe quinque panibus quinque millia hominum, exceptis mulieribus puerisque, saturavit Dominus[1], quod et alii tradiderunt. Ipse vero necessario hoc narravit propter sermonem ei conexum, in quo etiam verba fecit de mysterio (eucharistiae). Occasio enim horum verborum erat miraculum patratum; neque poterat evangelista eorum mentionem facere, nisi eorumdem occasione narrata. Uno verbo non * incongrue loqueretur, qui beati Iohannis evangelium vocaret complementum omnium illorum quae desiderabantur et quae ab aliis fuerant omissa. Sic ergo scribit evangelium suum prout voluerunt illi (Asiani) dicere, recolendo scilicet quae alii omiserant nec in libris suis consignaverant.

* p. 9.

Propter eamdem rationem multum etiam attendit ad ordinem rerum gestarum, quia hoc nulli illorum curae fuit. Quare autem ita egerint, modo non est tempus disserendi. Plura enim retulerunt quae nonnisi postea evenerunt; ac vice versa postea narrarunt, quae prius facta sunt. Atque hoc observare poterit, quicumque attente eorum libros perlegerit; ne verba singulorum recitantes sermonem protrahamus descripto fine eorum. Beatus Iohannes vero huic multum studuit, ponens primo quae contigerunt initio, ac deinde quae postea facta sunt cum ceteris quae revera ita evenerunt. Et quamvis in medio reliquerit plura, utpote ab aliis iam dicta, atque a facto praecedenti transeat ad sequens quod non statim evenit sed multo post; attamen ordinem gestorum non invertit, quia non ponit initio quae postea contigerunt, neque post alia removet quae statim a principio facta sunt. Ita in historia Iohannis Baptistae, prout diximus, agit; nam ordinem seriemque eventuum ibi servavit. Atque in ceteris inveniet quilibet idem servatum. Propterea tam frequenter in hoc libro occurrunt verba: *Post haec...*, in capite narrationum; verbi gratia: *Post haec erat dies festus Iudaeorum*[2]; vel adhuc: *Post haec abiit Iesus trans mare*[3], et cetera; omissis illis, * prout diximus, quae in intervallo evenerunt, aut quia iam ab aliis narrata, aut quia superflua erant, ita ut concise loquatur de necessariis.

* p. 10.

[1] Ioh., cap. VI. — [2] Ioh., V, 1. — [3] Ioh., VI, 1.

Explicatio, quam adiuvante Deo scripturi sumus, accuratam dictorum intellegentiam conferet iis qui assidue accedunt ad hunc librum legendum.

Videtur ergo mihi Iohannes propter magnam suam dilectionem erga Christum tam cito recoluisse quae omissa fuerant. Itaque verba de Christi divinitate dicta, sufficienter demonstrant eius magnitudinem. Verba autem humilia, haud congruentia celsitudini eius, confusionem maiorem incutiunt Iudaeis propter ipsorum saevitiam adversus illum; ita ut nullum excusationis praetextum haberent, qui crucifigendo eum putabant nomine Patris ultionem ei esse infligendam; nam omnia dicta sua et facta ad Patrem referebat, expresse testimonium de hoc perhibendo dicens: non esse sua, quae loquitur ipse ac facit. Quod manifesto ex verbis Domini apparebit attente ea, quae sunt dicta, examinanti.

Nam statim ab initio, postquam de divinitate locutus est, dicit Iohannem (Baptistam) etiam propterea venisse ut testimonium perhiberet de eius magnitudine [1]. Atque volens manifestare tale esse suum propositum in hoc libro, scilicet ut redarguat illos qui non crediderunt nec receperunt eum, dicit: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine* [2]. Hoc est verbum vituperantis illos qui putabant oboedire Iohanni, at non recipiebant eum de quo Iohannes testimonium perhibebat. Deinde ad augendam accusationem dicit: *Ad propria venit, et sui non receperunt eum* [3]; ac paulo post: *Iohannes testimonium perhibuit et clamavit ac dixit* [4]. Quando addit, * Iudaeos misisse a Ierusalem ad eum viros notos inter illos, ut peterent ac scirent quis esset, an scilicet eum tamquam Messiam deberent agnoscere, expresse respondebat se non esse Christum, sed propterea venisse ut eum manifestaret qui venturus est, secundum verbum prophetae [5]. Hoc confirmat sequentibus verbis et aliis multis, praecipue vero iis quae refert Dominum nostrum dixisse ad Iudaeos.

* p. 11.

Si quis ergo attente verba Domini nostri consideret, multa inveniet ex eis diversum sensum accipere: quaedam magnitudinem eius manifestant, alia debilia sunt atque evidenter post accuratum examen ei convenire nequeunt. Excipiuntur tamen illa quae ipse evangelista initio libri a semetipso dixit de divinitate Unigeniti, quae non tamquam verba Domini nostri refert sed tamquam sua propria; haec enim sunt supra omnem deminutionem. Conveniunt autem magnitudini Unigeniti (verba Christi), quando docebat fideles et non cum inimicis loquebatur. Sic igitur incipit.

[1] Ioh., I, 7. — [2] Ioh., I, 8. — [3] Ioh., I, 11. — [4] Ioh., I, 15. — [5] Ioh., I, 19-23.

LIBER PRIMUS.

[Cap. I, v. 1]. *In principio erat Verbum.* Meo quidem iudicio non est vituperandus qui dicat, beatum Iohannem evangelistam hoc verbum enuntiantem, non illico totam eius vim intellexisse, sed postea didicisse considerato magis eius sensu. Quia, prout mihi videtur, non tantum ab arte humana distat usus sensusque huius vocis, sed insuper totam naturam humanam superat. Ac non solum essentiam huius, qui suapte est natura, * valuit intellegere, sed insuper ita exprimere quod intellexit. Tam concise enim de inscutabili essentia Dei Verbi potuit loqui, prout alius quilibet neque sexcentis verbis ostendere posset quod intellexit. Quotiescumque ergo hoc verbum considero, invadit me stupor de haereticis ac miror quomodo contra tantam celsitudinem dimicare contendant. Qui huic pertinaciter contradicit, videtur mihi haud differre a philosophis istis graecis, qui omnes doctrinas religionesque, inter homines receptas, destruere intendentes, etiam de sole dicere contenderunt eum haud lucere, promittentes insuper allatis exemplis hoc demonstrare. Nam si aliquid esset prius principio, concederemus Filium non esse primam substantiam. Si vero in quovis ordine primum dicitur principium: aut non est principium, si aliquid prius eo exsistit, aut necessario (intellege nos hoc putare) primum est inter ea quae videntur.

* p. 12.

Deum Verbum esse in principio clare dixit evangelista. Si quis autem velit indagare quoad sensum huius vocis « principium », sive secundum usum philosophorum sive secundum usum Scripturae, inveniet utrobique aequaliter divinam essentiam Unigeniti indicare. — De cetero, et in aliis multis, si quis

diligenter examinet verborum usum inter illos (philosophos) receptum, inveniet eum haud discrepare ab usu loquendi Scripturarum. Non enim differentia religiosae doctrinae facit etiam in suppositione vocum diversitatem. Quamvis ergo erraverint in multis, sensus communis tamen cogebat eos ne significatum verborum adulterarent. * Propterea etiam libri divini aequaliter verbis usi sunt, scilicet secundum obvium valorem et intellectum eorum.

* p. 13.

Sed aliter examinemus hoc verbum « principium », et ante examen describamus usum inter homines receptum. Principium quarumvis rerum appellamus, id quod in eis est primum; minime vero quod secundum est, dicimus principium. Nam si est post aliud, non est primum; et si non est primum, a fortiori non est principium. Si quis autem attente velit considerare, inveniet hoc nomen « principium » aliquid plus significare quam « primum ». Potest enim fieri ut aliquid sit primum, quin tamen principium vocetur, quia accurate loquendo hoc nomine designari nequit. Notioni principii vero conectitur necessario etiam notio primi. Nisi aliquis quod primum est appellaret etiam principium, nomine hoc improprie utendo. Notione enim primi cognoscitur etiam principium; indeque apparet notioni principii omnino esse conexam notionem primi. Verbi gratia, si quis ex magno lapidum acervo aliquot successive velit amovere et dicat: « Talem lapidem tolle ex eis primo. » Heic quisnam sit primus significat, minime vero quidnam principium sit ostendit, quia similitudo inter congregatos lapides hoc non permittit; nisi quis praeterea dicat: « Principium ablationis illorum est talis lapis. » Tunc enim adiunctum praeceptum: « Sume talem lapidem » nomen principii accipit; at non lapidum, sed ablationis eorum vocatur principium.

Quid ergo? Ut ostendam investigatione hac, diligenter nobis considerantibus, aliquid magis nomini * principii inesse quam primi. Hoc enim primum dicitur, cui intellegimus aliquid sequi. Principium vero etiam alicuius est principium; at evidens est non a sequentis ordine recepisse ut sit principium, sed esse iam principium nondum existentibus, postea oriundis quorum vocatur principium; dum primum rite dicitur, cui aliquid sequitur. Primum quidem vocatur principium; at similiter quia

* p. 14.

iam erat priusquam exsisterent sequentia, quorum principium appellatur.

Propter hanc ergo terminorum proprietatem, etiam beatus Moyses consulto non dixit: *Fuit vespere et fuit mane, dies primus;* sed: *Fuit vespere et fuit mane, dies unus*[1]. « Unum » ergo vocavit diem illum, nam priusquam esset alius, non putavit accurate illum vocari « primum »; quia nondum post eum erat alius dies, cuius vocandus esset primus; quamvis postea creatus sit dies, qui ipso facto fuit secundus.

Simili modo principium domus vocamus fundamentum, quia non aliunde quam a fundamento incipiunt aedificare domum. Domus enim aedificari nequit, nisi habeatur fundamentum. Quamvis ergo fundamentum propter domum sit, tamen iamiam erat antequam aedificaretur domus. Similiter et Adamum dicimus esse principium hominum, quia ante eum nullus erat homo; exstitit vero Adam, priusquam alius homo esset creatus. Ideo consueto more omnium hominum sana mente fruentium, principium nuncupatur quod per se est primum, nullatenus vero quod * compositione aut mera appellatione primum est.

* p. 15.

Eamdem methodum secuti sunt extranei, qui de usu nominum scripserunt. Cum enim et ipsi naturalibus argumentis quoad hoc obtemperarunt, pulcherrimam sane nominis huius « principii » definitionem tradiderunt, dicentes: « principium esse primam causam eorum quae sequuntur »; primam causam denuo vocantes — rati se ita rem bene explicare —, quod est ante omnia. Ita etiam principium « id quod est ante omnia » appellare consueverunt. Et alii quidem rerum exsistentium causam et principium dixerunt ipsum Deum, utpote qui omnibus praeexsistat, nec quidquam ante se habeat. Alii vero aliquod eorum quae videntur, vel terram vel aerem, vel aquam vel ignem, vel et quattuor elementa simul — prout quisque opinabatur — illa esse sempiterna, reliqua vero postea ex ipsis esse confecta. Uno verbo, tam usu nominum, quam explicatione doctrinae suae manifestarunt se principium vocare quod est ante omnia.

[1] *Gen.*, I, 5.

Neque vero Scripturam divinam ab ea sententia diversa dicere reperies: quinimmo eo ipso sensu, inter homines communi, nomen hoc usurpare. Et ut, multis omissis, strictim edisseram: beatus Moyses populum Israeliticum tam de Deo quam de rebus creatis instituens erudire, ut nimirum Ille quidem solus erat, 5 hae vero effectae sint; volens insuper nobis et ordinem creationis earum explicare, ita ait: *In principio creavit Deus caelum et terram* [1]. Quod autem in principio erant nequaquam dixit; existimabat enim vocem illam rebus per se non exsistentibus et procreatis minime convenire, quarum effectorem, Deum, 10 praeexsistere non ignorabat. * Neque vero quod in principio factae sint dicere ausus fuit; melius quidem ratus conditoris earum primo loco mentionem fieri oportere, quapropter ait: *In principio creavit Deus,* ac deinde adiecit quaenam in principio creata sint. Primum enim creatoris illarum, Dei, 15 mentione facta, ut ad ipsum auditoris mentem prius sublevaret, deinde res productas commemoravit.

* p. 16.

In principio ergo dixit illa esse facta, evidenter etiam quae cum illis facta sunt designando; nam cum in illis cetera contineantur, illis expressis credidit sufficienter inclusa ista 20 esse indicata. Hoc autem dico quoad aerem et aquam, quoad montes et colles, ceteraque quae in caelo et in terra continentur, quorum nullibi singularis creatio apparet narrata. Meminit vero statim de luce quae postea facta est, cum ceteris illis quae die secunda et tertia creata sunt, usquedum ad hominis crea- 25 tionem venerit. Quibus nos clare docet, in libris divinis principium vocari, quod est ante omnia.

Mirandi isti (haeretici) haec omnia dereliquerunt, communem nempe consuetudinem usumque omnium doctorum, si hoc dicendum sit; immo, et quod ceteris maius est, consuetum 30 stilum ipsius Scripturae; atque multos voce fallaci decipiunt dicentes: *In principio erat,* idem esse ac: in principio « suo », perinde ac si initium habuisset; quia non intellegunt quanta inter « erat » et « habuit » intercedat differentia, immo quanta contrarietas. Si enim habuit principium, non erat in principio; 35 si vero est in principio, neque habuit principium. Quantae sit

[1] *Gen.,* I, 1.

igitur inscitiae dictum illorum, non est difficile intellectu; quandoquidem nihil eorum, quae aliquando non * erant et facta sunt, in principio suo esse dici possit. Quod tametsi dici posset, id commune rebus omnibus creatis inveniretur. Nam 5 cum haec omnia inceperint esse, possibile est secundum sententiam illorum ut Filius, quia non erat et factus est, in principio suo dicatur esse; quod omnibus, quae facta sunt, congruit; et frustra nobis, ut videtur, evangelista Iohannes quasi novi quidpiam de Unigeniti divinitate disserens, illud: *In principio erat* 10 protulisset, quod nec angelis nec archangelis, nec cuivis alii caelestium virtutum, aut etiam ranis ac foedis reptilibus convenit. Nam et de illis quae prius non exsistentia inceperunt esse, dicemus ergo etiam: « In principio erant », id est « in principio suo erant », sicut et ille (Unigenitus). Si 15 enim, secundum insipientiam istorum, hoc significat Iohannis effatum de Deo-Verbo, cum etiam illa postea inceperint, aptissime et illis convenire posset verbum hoc. Aut dicant rationem quare, etiam illis incipientibus, huic soli congruat dictum: « In principio suo erat », illis vero non. Si autem, 20 prout nos dicimus, istis verbis intellegimus Ipsum esse causam primam tamquam omnium Creatorem, hoc competit dignitati Unigeniti, at nulli eorum quae facta sunt. Ita ergo undequaque apparet, evangelistam hoc sensu dixisse: *In principio erat.*

* p. 17.

25 Quia vero humanae rationi repugnat, ut causae, per quam omnia sunt facta, alia sit causa, statim volens fidelibus hanc ambiguitatem solvere, non vocavit eum Filium, ne pro humana consuetudine * praestituta nostrae generationi tempora obfuscent incomprehensibilem celeritatem generationis 30 divinae, ideoque non admissa aeternitate Filii, reputetur ceu impossibile Eum semper cum Patre fuisse, quamvis cum eo, tamquam a principio sit. Vocatur enim omnium causa seu principium, non quod superior sit Patri, vel quod, uti ipse, sit expers principii, sed quod ab aeterno ipsi coexsistat, 35 ab ipso quidem procedens, non tamen inde posterius originem trahens. Idcirco non appellavit eum Filium sed Verbum, ut tamquam per analogiam hoc nomine designaret eum. Haec est enim consuetudo libri divini: quando vult aliquid circa

* p. 18.

naturam divinam manifestare, huic imponit nomen ex rebus nostris desumptum, quod accurate eam describere natum sit, sicut hoc dictum Apostoli: *Dominus Deus noster ignis consumens est*[1]. Non enim censuit Apostolus, alio modo sufficienter describi posse iudicium a Deo procedens, quam (per analogiam) rerum nostrarum, ac propterea non dubitavit vocare eum « ignem ». Simili modo etiam beatus Iohannes vocavit eum « Verbum », ut hac analogia removeret nos a dubio.

Non enim propterea vocavit eum « Verbum », prout quidam opinati sunt, tamquam qui manifestat voluntatem Patris, quatenus per verbum explicamus propositum animae nostrae. Sin vero dicant nobis, quomodo velint voluntatem Patris hominibus per Filium explicari. Numquid per verbum? Sed hoc est stupidum. Semel enim tantum in Incarnatione sua, visus est cum hominibus loqui. At obicient forte, eum pluries iam diversimode olim apparuisse iustis ac locutum esse cum eis. Sed hoc ab angelis videtur illis factum esse. Angelus enim apparuit Balaamo in via, * distincte manifestans ei Dei voluntatem, ac praeter suum consilium incessit Balaam per viam[2]. Zachariam vero prophetam semper videmus dicere: *Et dixit mihi angelus qui loquitur in me*[3]. Evidens est autem illum non aliud dixisse quam quod Deus volebat.

* p. 19.

Si vero de eo (Verbo scilicet) dicant, operibus eum manifestare Patris voluntatem; neque hoc invenimus ab angelis alienum. (Dicit enim Scriptura): *Laudate eum omnes angeli eius, qui estis potentes et facitis praecepta eius*[4]. Similiter Apostolus de omnibus virtutibus angelicis simul dixit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis*[5]. Evidens autem est angelicas virtutes, ad hoc ministerium missas, perfecte Dei voluntatem adimplere.

Si ergo dicant « verbo » illum manifestare Dei voluntatem, apparent et angeli hoc facere; sin vero dicant operibus, nequidem hoc potest eis denegari, prout manifestum est. Ergo quadrat et illis nomen « verbum »; itaque in vanum Iohannes,

[1] *Hebr.*, XII, 29. — [2] *Num.* XXII-XXIV. — [3] I, 9 et alibi. — [4] *Ps.* CII, 20. — [5] *Hebr.*, I, 14.

intendens docere naturam divinam, hoc nomen videtur assumpsisse, quod et aliis multis convenire potest.

Equidem si hoc ita est, quare non alibi in libris divinis vocatur « Verbum » praeterquam hoc loco? Convenientissime enim ita fuisset designatus a Iohanne Baptista dicente: *Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[1], si hoc nomine vocatus esset quatenus Patris voluntatem manifestavit.

Multa autem accuratione usus evangelista non dixit « Verbum Dei », sed « Verbum » simpliciter. * Noverat quippe verbum Dei etiam mandatum eius designare, vel adhuc opus ex Dei voluntate factum, sicut de prophetis dicitur: *Verbum Domini* « quod ad talem vel talem factum est », id est, revelatio, quae secundum Dei voluntatem eis facta est ut praedicent. Huic simile est quod dicitur apud Apostolum: *Verbum Dei quod per nos praedicatum est vobis*[2], quo significatur praedicatio. Et iterum in alio loco: *Verbum crucis pereuntibus stultitia est*[3], id est praedicatio de cruce. Ita et beatus David dixit: *Ignis, grando, nix, glacies, venti et procellae, opera verbi eius*[4], hoc est quae secundum mandatum et voluntatem eius fiunt et moventur. Item et beatus Petrus dicens: *Verbum quod misit filiis Israel nuntiavitque eis pacem et tranquillitatem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus*[5]; quibus significare intendit: hanc doctrinam per Iesum Christum misit (Deus) Iudaeis praedicandam, ut discant ipsum esse omnium Dominum. Apostolus vero dicens: *Vivum est verbum Dei et acutum*[6], non aliud vult significare quam: praeceptum Dei eiusque iudicium potentia sunt atque acuta, quatenus omnia perscrutatur ac decernit, ideoque contra peccatores sententiam ferre valet.

Cum itaque divina Scriptura passim verbi Dei mentionem faciat, non indefinite loquitur. Nam « verbum Dei » dicit, vel « verbum Domini », aut « verbum crucis », aut « verbum quod misit », unumquodque eorum additione aliqua determinando. Beatus Iohannes vero heic absolute « Verbum » vocavit eum.

[1] IOH., I, 18. — [2] (?) II *Cor.*, I, 19. — [3] I *Cor.*, I, 18. — [4] *Ps.* CXXXXVIII, 8. — [5] *Act.*, X, 36. — [6] *Hebr.*, IV, 12.

* p. 21. Breviter ergo ad illos qui quaerunt * et dicunt: Quare vocavit eum Verbum? respondemus. Liber sacer non ubique secundum hypostasim usurpat hoc « verbum »; heic vero Filium vocat « Verbum » secundum hypostasim, sine additione et definitione, singillatim atque absolute ita eum nominando.

Figurate eum esse dictum « Verbum », etiam ipsi fatentur, cum intendant explicare quare hoc nomine fuerit vocatus. At non eo sensu, quo ipsi explicare volunt, eum ita fuisse designatum, clare, adiuvante Deo, ostendimus supra.

Quid ergo dicimus nos? Verbum apud nos duplex est: unum quod voce per linguam nostram profertur, et alterum quod secreto est in mente nostra, quod dicimus depositum in rationali anima nostra aut naturale est ei. Non discutimus autem de appellatione huius nominis. Verbum hoc est igitur ab anima, atque noscitur semper cum ea esse.

Per analogiam ideo solvimus dubium: sicut videmus verbum hoc, quod est animae, non separari aut dividi ab ea, nequidem dum in tempore procedit ab ea, sed semper exsistere cum ea in eaque videri; — quanto magis non oportet dubitare quominus possit Filius procedere a Patre absque divisione vel separatione; neque in tempore recepit hanc naturam, sed semper cum eo et apud eum est; nihilque exsistit inter eos, quia ab aeterno cum eo est et tamquam principium habet solum Patrem. In substantia vero cum eo est ut Filius eique est unitus.

Verum et aliud quod dicunt haeretici, est omnino ineptum: Filium nempe, eo quod est genitus, posteriorem esse Patri.
* p. 22. Nam si invenirent * initium Patris, iure dicerent illum esse posteriorem utpote genitum. Quamvis haec adhuc alia foret ineptia. Cum enim quovis ictu oculi generatio haec citior inveniatur, quomodo intellegi potest genitus posterior Genitori? Ecce enim et apud nos, geniti non sunt genitoribus suis posteriores, nisi quia hi non statim capaces sunt generandi, sed post magnum temporis lapsum hanc potentiam acquirunt; qua adepta, alio adhuc intervallo indigent, quo proles per matrimonii consortium concipitur, atque infans plasmatur et figuratur sicque paulatim ad ortum pervenit. Cum ergo nullum illorum de Deo cogitare possimus, quomodo generationis

principium posteriorem eum facit quoad illum de quo natus est? Nam si Genitor incomprehensibilis est, quanto magis Genitus dici nequit posterior, cum, prout diximus, partus ille Geniti quam citissime evenerit, atque exsistentia eiusdem Geniti etiam aeterna sit. Quomodo ergo posterior dici potest Filius, cuius Pater infinitus est, eiusdemque, qui ex Patre natus est, quovis sensu celerior exsistentia?

Nec tamquam Creator dicitur creaturis anterior; valde enim dedecet talis anterioritas Creatorem, quia suggerit eum paulo ante creaturas esse, id est, solummodo quantum quis intellegit requisitum tempus ad creandum.

Quid ergo dicimus nos nisi « erat »? Atque praeter hoc nil aliud dici potest. Quid enim secus dicere possumus * de natura eius, cui neque initium quo incipit esse invenimus; quem vel cogitare incepisse repugnat, atque attestamur gravem esse iniquitatem? Illas vero (i. e. creaturas) dicimus esse factas postea; ita tamen ut nullatenus concipere valeamus quanto post tempore factae sint. Non enim habetur mensura Creatorem inter et productionem earum in tempore; sed ante eas immensurabilis exsistit Deus, nullumque habetur tempus quod eius vitam demetiri possit. Quantum ad illas vero, cum inceperint, sequebatur tempus post ortum earum, atque terminus commetiens mensuram earum.

Quare etiam beatus David dixit de Deo: *Ille qui est ante saecula*[1]; non quod saecula res quaedam sint, sed sunt spatia commetientia ea quae initium habuerunt. Ante saecula ergo dixit eum esse, quia omnia aeva supereminet, neque initium habet quo factus est, unde noscatur spatium quod secutum sit eum.

Idem dicit etiam beatus Paulus de Filio: *per quem fecit et saecula*[2]. Non quod fecerit ea quae non sunt; sed significat ipsum esse omnium, quae exsistere inceperunt, principium, utpote omnia aeva superantem, neque vitam eius inter terminum et initium concludi. Hoc etiam innuit beatus Iohannes. Et sicut hic, postquam dixit: *In principio erat*, adiungendo nomen: *Verbum*, tamquam per analogiam voluit probare possi-

[1] *Ps.* LIV, 19. — [2] *Hebr.*, I, 2.

bile esse ut aliquid ab alio procedat, quin temporis intervallo separetur ab eo; ita et ille (beatus Paulus) post verba: *per quem fecit et saecula,* adiecit: *qui est splendor gloriae eius (Patris)* [1]. Splendor enim est de natura solis vel ignis et procedit ab eo quin separentur tempore, neque * natura dividatur unde ille oritur.

Postquam ergo dixit: *In principio erat Verbum,* ac sufficienter aeternitatem eius naturae manifestavit; postquam tamquam per analogiam vocavit eum *Verbum,* atque non incidentem duntaxat solvit ambiguitatem, verum etiam et quod *in principio erat,* non tamquam expers principii dicat, demonstravit, sed ab aeterno coexsistens cum principio suo; — illud ipsum explicando et elucidando dicit: *Et Verbum erat apud Deum,* hoc est, erat cum eo et apud eum eique unitum. Hoc enim insinuat illud: *erat apud Deum,* clare ostendens quod *in principio* dixerit *esse (Verbum),* non ut expers principii, sed ut semper coexsistens cum suo principio.

Et cum dixit: *erat apud Deum,* subiungit: *et Deus erat Verbum,* non prius dicens *esse Deum,* quam asseruerit illud *esse apud Deum;* sed postquam dixit: *erat apud Deum,* tunc subdit: *et Deus erat;* acsi diceret: non erat aliud, quam id ipsum quod ille apud quem erat. Magna quippe huic est similitudo apud Apostolum, qui etiam postquam vocavit illud: *Splendorem gloriae eius,* subiunxit: *et figura substantiae eius* [2], ut caute recedens a discrepantiae opinione, indicaret similitudinem perfectam.

Attamen nondum hic substitit evangelista, sed quasi posterioribus priora continuo enucleatius explicans, clariusque de Unigeniti divinitate loqui intendens, voluit insuper ex rerum creatarum collatione manifestare eius differentiam non solum eius dignitate indicata, sed et ostendendo eum nequidem ullam cum eis habere * communicationem (in natura). Dicit enim:

v. 2) *Hoc erat in principio apud Deum,* et (v. 3) *Omnia per ipsum facta sunt.* Demonstrative quidem *hoc* dicens, opposuit illi *omnia quae facta sunt.* Hoc enim, inquit, erat in principio

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Hebr.*, I, 3.

apud Deum, omnes vero creaturae per ipsum factae sunt. Atque manifeste huic: *in principio erat,* comparavit eique opposuit illud: *omnia per ipsum facta sunt.* Ipsum siquidem non est factum, quoniam in principio erat; illa vero facta sunt, cum prius non exsisterent. Hoc ipsum etiam praecedentium est explicatio. Manifestat enim quid intenderit significare verbis: *In principio erat;* clare scilicet insinuat eius aeternitatem.

Atque magis adhuc volens hoc confirmare dixit: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Voluit nempe per haec omnia ostendere, eum ita semper adesse Patri ut qui eiusdem sit naturae, et consors creationis cum eo creans omnia quando expediebat ea fieri. Haec ergo additio etiam praecedentia explicat. Clare autem ostendit, illud: *omnia per ipsum,* de eo non ministerii causa, sed cooperationis gratia dictum esse. Ne quid vero eorum, quae facta sunt, ab eius creatione eximeretur, ideo adiunxit: *Sine ipso factum est nihil quod factum est*

Quidam ita hunc textum legerunt: *Sine ipso factum est nihil quod factum est* « in ipso », id est, eorum quae *per ipsum* facta sunt. Qui autem non esset ridiculum, si ita loquendo evangelista, nos rem novam et hominibus ignotam docere intenderit? Vel obvius quisque et de obvio quoque idem asserere potuisset; scilicet: « Sine ipso factum est nihil eorum, quae per ipsum facta sunt. » * Nam quilibet vel de quolibet idem potest dicere, cum appareat de quovis rem quamcumque perficiente non aliud dici posse quam: « Eorum quae per ipsum facta sunt, nihil sine ipso factum est. »

Quidam autem aliter legerunt: *Sine ipso factum est nihil,* deinde coniungunt: *quod factum est in ipso vita erat.* Quod non minus ridiculum est ac praecedens; non omnia enim, quae per ipsum facta sunt, vita erant. Nam multa sunt quae vita carent, uti terra et montes aliaque multa, ne omnia singillatim recitemus. Haec igitur praecedentia complicant et confirmant, immo et elucidant. Nam post illa: *Omnia per ipsum facta sunt,* addit: *et sine ipso factum est nihil quod factum est;* hoc est: ut uno verbo loquar, nihil eorum quae facta sunt, sine ipso factum est, solo Patre a creatione eius exempto; quia semper cum Patre est, et rerum creationi una cum eo operetur oportet.

Quidam voluerunt hic et Spiritum comprehendi, quia dixit *omnia* per ipsum esse facta. Multa forent nobis circa hoc dicenda; nam consuetudo est libri sacri dicendi omne, non universa comprehendendo, v. gr.: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones* [1]; hoc autem non possumus dicere de Moyse aut de Samuele, nec de ceteris prophetis; plura sunt exempla consueti talis usus. Similiter evangelista, eo ipso quod dixit: *sine ipso factum est nihil quod factum est,* ostendit se de rebus creatis dicere: *per ipsum facta sunt,* minime vero de aliquo increato. Quomodo hoc potest esse? Quia * patet per se; atque insuper ab evangelista expresse dicitur. Primo ergo oportebat quaerere an Spiritus Sanctus factus esset, ac deinde probare eum in supradictis esse comprehensum. Sed illa omnia dimitto.

* p. 27.

Hoc autem paucis dico: Deus nempe creaturas omnes diversimode creavit; universamque creationem in unum corpus composuit, caelum scilicet supremum ac terram ceteraque omnia visibilia et invisibilia. Propterea conexa sunt inter se omnia quae creata sunt, moventurque visibilia ab invisibilibus. Deus vero non fecit ens quoddam inter spiritualia quod solum sit ac singulare in genere suo; neque angelum creavit unicum, neque archangelum, aut alios spirituales virtutes; sed omnes angelicos ordines in quantitate innumerabili creavit fecitque ut ministrarent omnes in unum servitium. Si ergo unus ex eis sit Spiritus Sanctus, oportet quaeramus quibusnam ordinibus comprehendatur et quibusnam sit annumerandus. Si autem visibilis esset, iis annumerandus foret, qui talis sunt naturae, ut mutuo confirmentur atque ita subsistant. Sed quia invisibilis naturae est, cum aliis istis oportet ponamus eum. Cum vero nulli illorum sit coniunctus, — unicus enim est Spiritus Sanctus, neque fungitur ministerio aliquo tamquam angelus quidam, sed omnia operatur utpote ubique exsistens et omnibus sufficiens, — hinc evidens est eum ab illis esse distinctum.

Quomodo ergo annumeraretur iis, in quorum ordinibus non comprehenditur? Coniunctus vero est Patri ac Filio solus, sicut unus est Pater unusque Filius.

[1] Ioh., x, 8.

Haec autem, prout existimo, sufficiunt, ne pluribus verbis transgrediamur * limites libri. Quae autem supra fuse exposuimus, o gloriosissime inter omnes episcopos, Porphyri, ea a nobis scripta sunt quia invenimus haec testimonia perfidia haereticorum valde adulterata. Nam credimus hoc esse interpretis officium, ut sententiae verum sensum aperiat non tantum litterali interpretatione, sed etiam contrarias sententias reiciendo. Quia ergo diximus haec verba sedulo examine indigere, si quis velit accurata inquisitione ad eorum intellegentiam pervenire, ideo hoc fecimus propter illos qui in hunc librum incident. Scito ergo, Domine mi, nos plura alia, Deo adiuvante, dicere posse ad confirmanda haec necessaria; huic vero renuntiamus, intenti dicere ea tantum, quorum omissio, nostro indicio, clarae verborum interpretationi noceret.

v. 4) *In ipso vita erat.* Non dixit: *vita erat,* hoc enim et animantibus vivis convenire potest; sed dicit: *in ipso vita erat;* id est, vim vivificam facit scaturire, ita ut non solum vivat ipse, verum etiam aliis vitam praestet. Quod est consentaneum huic: *sine ipso factum est nihil quod factum est.* Fecit enim, inquit, omnia, vitam suppeditans; et non naturas dumtaxat simpliciter producere potest, sed etiam viventia creare valet. Hoc autem nominatim recoluit, quia inter ea, quae facta sunt, praecipuum est. Dicendo enim: *in ipso vita erat,* non intendit significare quaenam sit eius natura, sed quaenam sit eius virtus.

Propterea addit: *et vita erat lux hominum;* id est, haec eius virtus non vivificandis solum animabus hominum, verum etiam * omni cognitione illas imbuendi abunde sufficit. Quia ergo narravit eius creationem dixitque eum esse omnium creatorem, voluit expressa mentione excellentiorum inter creaturas, testimonium perhibere de excellentia eius creativae virtutis. Ideo primo dixit eum posse etiam viventia creare, quae inter ea quae facta sunt, excellentiora sunt; deinde quia inter viventia illa eminent, quae ratione praedita sunt, addit: *et vita erat lux hominum.* His duobus testimonium exhibuit de excellentia eius virtutis, quatemus valet et viventia creare, atque hominibus largiri cogitationes intellectuales; id est, spiritualia creavit. Hoc enim significavit dicendo: *et vita erat lux*

hominum, i. e. hoc est eis principium, hic est largitor rationalitatis.

v. 5) *Et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt.* Dicere oportebat: *et tenebrae non comprehendent eam;* hoc enim postulabat contexta oratio. Sed evidens est in libris sacris simpliciter poni diversa tempora, sine distinctione; si quis autem inquirere velit, maxime in Vetere Testamento inveniet hunc consuetum usum.

Hoc ergo dicere vult: « Ille qui omnia creavit, et constituit viventia fecitque rationabilia, dum omnes ignorantiae et errori erant subiecti, apparuit nunc ut solveret quaecumque illos tenebant universosque perduceret ad virtutem. Ipsum vero error invadere nequit; sed instar lucis fulgentis omnes illas (tenebras) solvit ac depellit. » Haec sententia vere est prophetica; conveniebat ergo contextui ut diceret, non quidem: « comprehenderunt », sed: *non comprehendent eam;* prout etiam legitur apud Isaiam: *tamquam ovis ad immolationem ductus est* [1] pro « ducetur. » Atque hanc prophetiam fuisse veram, * probant facta sequentia. Hoc etiam evangelista non absque ratione dixit, sed quia credebat promisso Domini nostri nuntiantis fore ut exaltatus omnes traheret ad seipsum [2].

Quid ergo? Postquam verba locutus est eius divinitati congruentia, atque dixit eum ab aeterno cum Patre esse et cum eodem partes habere in rerum creatione, quia tanta virtute praeditus est ut non modo creare, sed et viventia, immo et rationabilia creare valeat, — ordinatim subiunxit eum utpote largitorem scientiae naturaeque rationalis hominum, opportune etiam nunc propter omnium salutem sese manifestasse. Hinc ergo incipit narrare quomodo apparuerit.

Cum multa sibi essent, quae de hoc testimonium exhiberent, — hoc enim ad eum confirmandum et ad incredulos confundendos serviebat, — propterea statim adicit dicens: (v. 6) *Fuit homo missus a Deo, cuius nomen erat Iohannes.* Ceterum ad Messiae apparitionem transiens, quodnam aptius principium inveniret quam a Iohanne? Ab eo enim notum est, quis sit ille quem a principio excepit. Quid ergo dicit?

[1] Is., LIII, 7. — [2] Ioh., XII, 32.

v. 7) *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* De Iohanne vero ait: (v. 8) *Non erat ille lux.* Clare itaque pandit hunc sibi praefixisse finem, scilicet ut Iudaeos accuset. Quid enim cogebat eum dicere: *Non erat ille lux?* Nisi vellet accusare eos qui putaverant acceptandum esse Iohannem, crucifixerunt vero illum de quo testimonium perhibuerat; dum hic non venerat ut de seipso testimonium perhiberet, sed * ut manifestaret Christum.

Et quia dixit: *Non erat ille lux,* ne videatur aliquid contrarium ei obiecisse, — si enim non est lux, sequitur ipsum esse tenebras, — ideo explicationis gratia addit: (v. 9) *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, veniens in mundum.* «Non dixi ipsum esse tenebras, sed non esse lucem veram; brevi enim tempore inservit tamquam lucerna lucens in tenebris. Ille autem est lux vera; ille, inquam, qui venit in mundum ac manifestavit seipsum omnesque illuminavit, numquam lucere desistens at iugitur perseverans. » Tunc enim per verba Iohannis debebant homines in Christi cognitionem venire, postea vero etiam absque eius praedicatione sedulo fidem amplexi sunt.

Verba haec: *veniens in mundum,* conectuntur quoad sensum cum: *erat lux vera.* Hoc enim significare intendit: Quando in mundum venit atque apparuit, omnes illuminavit. Minime autem dicit: *omnem hominem,* ac si omnes convertendi forent, sed quia omnibus illuminari desiderantibus proderit. Non sicut Iohannes ad breve tempus inserviet, sed semper auxilium suum praestare poterit usque ad finem mundi, iis nempe qui credere volunt ac vivere.

Postquam enim de Iohanne dixerat: *Non erat ille lux,* comparate de Christo addidit: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, veniens in mundum;* significans: « Ille quidem ad breve tempus ac paucis inserviebat, qui solis Iudaeis praedicabat; hoc est enim opus lucernae paulisper illuminantis ac deinde extinguendae. — Christus autem, ceu lux perpetua, numquam interit. » Hoc enim * exprimit dicendo: *erat lux vera,* quae permanet usque ad mundi consummationem, auxilium suum omnibus suppeditans.

v. 10). *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Post illa verba: *veniens in hunc mundum,* de Domino Christo recte subiunxit: *in mundo erat,* ut declararet illud *veniens* dictum esse propter eius manifestationem in carne. Nam secundum hypostasim, inquit, ac naturam suam, etiam antea in mundo erat. Et veluti hoc etiam parum esset, intulit: *et mundus per ipsum factus est;* hoc est: Ecquid mirum si erat in mundo, qui omnino non fuisset nisi ille voluisset? Sed tamen erat quidem in mundo et antea, et fecit etiam mundum ipse: *et mundus eum non agnovit.* Bene hoc: *et non cognovit eum* dixit, id est, non agnovit Dominum suum.

v. 11) *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Clarius heic verbum suum explicat; manifestum est enim his omnibus corripi incredulos.

v. 12) *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius,* (v. 13) *qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Illis, inquit, qui receperunt eum, haud inane fuit hoc negotium. Dedit enim eis aliquid magnum et excellens; scilicet, in quantum fieri potest, aequales eos sibi in honore fecit, filiationis munere eos donando: qua gratia fruuntur, non secundum naturalem generationis ordinem corporaliter renascendo, sed divina virtute, per similitudinem quamdam et affinitatem procreati. His dictis, supererat declarandum quomodo * eius adventus contigerit, quo adhuc magis incredulorum crimen augeretur. Quapropter postquam in praecedentibus dixit ostenditque multas illis rationes fuisse ad credendum si voluissent; postquam illorum crimen multum asperavit, primo quidem describendo nativam dignitatem huius qui apparuit; deinde ex testimonio Iohannis qui non propter seipsum venit, sed ut testimonium de illo perhiberet ac diceret illum esse lucem veram in quam omnes oportet respiciant convertentes se ad eum; demum ex munifico dono quo donavit credentes elevando eos ad filiationem adoptivam; — postquam ergo his tribus exaltavit Verbum, scilicet excellentia eius naturae, veritate actionum eius, ac tandem donis quae gratia sua contulit

* p. 33.

credentibus, adiecit quomodo eius adventus contigerit dicens:

v. 14) *Et Verbum caro factum est.* Modo valde conspicuo usus est verbo hoc. « Ecce, inquit, dignatum est tamquam caro fieri. » Cum haec revera opinio esset videntium eum, — quia tam demisse in homine erat et hoc solum a multis credebatur prout apparebat, — ideo ad explicandum verbum *erat* adiungit: καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *et tabernaculum fixit in nobis;* id est, hoc sensu factus est caro, quatenus habitavit in natura nostra. Verba enim ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν manifeste stant pro *habitavit in nobis;* prout et de nobis, hominibus, dixit Apostolus: *Nos, qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus* [1], tabernaculum vocans corpus nostrum; — atque iterum: *Scimus quoniam si terrestris nostra domus habitationis dissolvatur* [2]. Atque usitatum esse Scripturae, a *carne* totum hominem designare, notum est; v. gr.: *Ad te omnis caro veniet* [3]. Ideo et hic evidenter * significans: (*Verbum*) *factum est in homine,* dixit: *caro factum est.* At non acsi mutatus esset, dixit *factum est,* sed quia propter apparentiam ita esse credebatur.

* p. 34.

Hoc ergo dixit ad extollenda quae manifestant eius misericordiam et incredulorum culpam. Aptissime vero dixit: *caro factum est,* ut per infirmiora exaggeret utrumque, scilicet et culpam illorum et benignitatis eius manifestationem.

Nos ideo aestimamus, quae hucusque dicta sunt ad explicandum textum sufficere; neque opportunum mihi videtur ultra protrahere sermonem; siquidem, meo iudicio, contra adversarios sufficientia verba dicta sunt. Aut enim « factum est » contenderunt significare « conversum est »; quod, opinione nostra, nonnisi ab insipientibus dici potest; aut verba illa sicut plerique intellexerunt. De cetero ipse evangelista sufficienter se explicat, verbis « factum est » apponendo haec: *habitavit in nobis.*

Si autem diligenter velis plura circa haec addiscere, sumere potes volumen, quod de Christi humana natura conscripsimus;

[1] *II Cor.,* v, 4: οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει...

[2] *Ibidem,* v, 1: ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ.

[3] *Ps.* LXIV, 2.

indeque accurate instrui poteris tam circa hunc versum quam circa totum subiectum hic tractatum.

Interim evangelista sermonem ad ordinem suum reducit, ne verba haec: *caro factum est* et *ita apparuit*, impediant quominus eius dignitas videatur. Propterea addit: *et vidimus gloriam eius, gloriam tamquam Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.* « Non ex multis, inquit, notum eum faciam. Ideo neque nos levi animo consensimus in eum credere; sed propter illa ipsa quae videmus, tamquam verum Filium Unigenitum recepimus eum. Quae enim videmus talia sunt, ut abunde magnitudinem eius qui apparuit demonstrent; * p. 35. *nullius alius esse poterant quam Unigeniti qui similitudinem Patris perfecte possidet; tam plena erant gratia vera, opera quae per ipsum fiebant. » Veritatem ergo vocavit gratiam comparate ad illam Iudaeorum. Intendit enim comparatione ostendere magnitudinem eius, ut accuset incredulos; prout verbis sequentibus prodit mentem suam.

Gratiam ergo veritatis nomine designat, id est, veram gratiam; quia Christus transgressiones antiquas condonavit deditque salutem cum remissione peccatorum; insuper et mortem destruxit quae propter peccatum regnabat, atque nobis dedit firmam resurrectionis spem cum adoptione in filios, — non verbo tantum sicut Iudaeos, sed opere per virtutem Spiritus regeneravit nos in spem resurrectionis, cuius typus est baptisma, quam neque mors evacuabit. Praeterea delicias regni caelestis praeparavit nobis; si tamen filiationis adoptivae honorem, per baptisma nobis collatum, illibatum custodiamus honesta conversatione nostra.

Sed stultitia est omnem excedens modum, — haec enim non sunt mitiganda, — quod nonnulli ausi sunt obicere; nempe evangelistam dicere *tamquam Unigeniti*, minime vero *Unigeniti*. Attamen quis est qui ignoret, particulam « tamquam », si comparate quidem dicitur, unum alteri referre; si vero prout nostro loco usurpatur, abundantiam simul ac firmitatem inculcari rei expressae? Iamvero frequens est hic usus in Scripturis.

Si ergo comparative dicatur *tamquam Unigeniti*, ostendant nobis cui evangelista illum comparet dicendo se vidisse

gloriam eius tamquam Unigeniti. Si vero alter terminus non detur, evidens est eum significare dignitatem eius * et confir- * p. 36. mationem dicti sui. Etenim hic est finis eius inde a prima linea per omnes hos versus, scilicet ut extollat eius laudes, quod verum est dicendo absque ulla falsi specie. Vult ideo dicere: Ipsa experientia comperta habemus quae affirmamus, operaque ab eo gesta tam manifeste eius dignitatem demonstrant ut convenerint Filio Unigenito, in quo est similitudo Patris.

Deinde crimen adversus incredulos asperando et confirmando magnitudinem Christi, ait: (v. 15) *Iohannes testimonium perhibuit de ipso et clamavit dicens.* « Haec, inquit, quae nos affirmamus, neque Iohannes cessavit alta voce proclamare. » Quid ergo dicebat? *Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.* « Haec, inquit, sunt Iohannis verba, quae saepe dixit priusquam Christus venerit, quae post eius adventum repetebat et quibus indicabat eum dicens: Hic est de quo pluries dixi vobis: altior me est, crescet et exaltabitur; atque merito quidem, nam maior me est. »

Verba: *ante me factus est*, non dicit Baptista de Christi ortu, prout haeretici affirmant, quibus non est curae sensus verborum, dummodo astute discutiant; quae ut ita dicerentur, non respiciunt naturam Dei Verbi. Quomodo enim respicerent eum illa: *post me venit?* Quomodo ergo dicere potuit: *Ante me factus est, quia prior me erat,* si tamquam de ortu dicta sint? Dicere oportebat: *quia ante me factus est, prior me erat;* minime vero: *ante me factus est, quia prior me erat.* Nam quae facta sunt, * non quia iam exsistunt, facta * p. 37. sunt; sed e contra, quia facta sunt, ideo exsistunt.

Quid ergo intendit beatus Iohannes? Quia iampridem ab hominibus tamquam ceteris dignior ipse considerabatur, — ad eum enim veniebant omnes, Iesus vero nulli notus erat: quia testimonium perhibebat, eius vero testimonium de Iesu erat; praecipue, dum ipse baptizabat, Iesus vero baptismum recipiebat; propterea apte dicit: *Hic est quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Hic est ergo de quo dicebam: Veniet post me vir, qui putabitur

quidem me inferior, quia a me testimonium accipiet et a me baptizabitur; at brevi post tempore videbitur prior me esse, meritoque hoc continget, nam quia revera excelsus est, iure optimo etiam ceu magnus cognoscetur. Haec ergo *post me* et *ante me* secundum opinionem hominum dixit. Si vero *factus est* dixit loco *fiet*, quid mirum? cum supra ostenderimus hanc esse Scripturae sacrae persaepe dicendi consuetudinem, sed et ipsius evangelistae qui *non comprehenderunt* scripsit pro *non comprehendent*.

Examinemus etiam sequentia verba Iohannis Baptistae, ab evangelista heic ordinatim relata:

v. 16) *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Haec sunt ergo quae deinceps tamquam a Iohanne Baptista prolata narrat evangelista: *De plenitudine eius,* inquit, *nos omnes accepimus,* id est, gratiam Spiritus, qua donamur, ex abundantia eius accipimus. De humana eius natura dicit, omnem gratiam ei inesse; at simul hoc manifestat dignitatem naturae quae in eo est. * Per unionem enim cum Deo Verbo, mediante Spiritu, factus est consors filiationis verae. Nos ex eius gratia spirituali partem accipimus, atque per eamdem participes efficimur una cum eo filiationis adoptivae, quamvis multum ab hac dignitate distemus.

Et opportune addit: *gratiam pro gratia,* nomine gratiae etiam legem designando. Pro ista gratia, inquit, data est gratia haec. Ne autem verborum aequalitas reputetur stare pro aequalitate rerum, subiungit:

v. 17) *Quia lex per Moysen data est, veritas autem et gratia per Iesum Christum facta est.* Olim, inquit, lex tantum ad doctrinam nostram data est, et quidem etiam tamquam gratia collata est, cum non essent digni qui recipiebant eam, Nunc autem gratia vera data est; propterea non dixit: per Iesum Christum *data est,* sed *facta est.* Quia ibi revera datum est praeceptum ; hic autem factum completur regenerationis nostrae, quae primo perfecta est in Christo Iesu, dein per eum transmittitur ad credentes, non figura tantum sed etiam in re, futuri enim sumus consortes et resurrectionis eius.

Quia vero supra dixit eum plenum gratia et veritate, atque insuper tamquam Unigenitum a Patre, congruebat volenti

verba sua testimonio Iohannis comprobare, ut ostenderet etiam Iohannem hoc proclamasse. Propterea addit:

v. 18) *Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hoc similiter tamquam a Iohanne dictum refert. Nunc ergo discimus veram doctrinam religiosam. « Olim quidem, ait, credebatur etiam Deus videri; hoc autem propter humanum usum loquendi * factum est; nam hic in terra impossibile est videre Deum. Nunc autem veritatis magister factus est nobis ipse Unigenitus, verax in verbis suis, quippe qui est apud Patrem. » Itaque ex his omnibus apparet. evangelistam comparate ad legem describere velle Messiae dignitatem.

Dicit autem: *qui est in sinu Patris,* quia inseparabiliter coniunctus est ei. More autem libri divini, ita hac nostra voce « sinus » designatur quod nobis est unitum; quia quod in sinu nostro tenemus, apud nos est nobis coniunctum. Ita v. gr. legitur in beato Davide: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium quod exprobraverunt tibi, Domine*[1]; id est, Fac ut opprobium eorum non recedat ab ipsis, sed adhaereat iniquitatibus eorum; — eodemque sensu legitur: *Opprobrium quod continui in sinu meo multarum gentium*[2]; id est, quod numquam a me recedit. Quapropter bene nostro loco dixit: *qui est in sinu Patris,* ad confirmandam auctoritatem eius qui haec docuit. « Quia, ait, qui semper est apud Patrem, nec discedens ab eo haec narravit, ipse verax est. »

His omnibus confirmavit scopum verborum suorum. Nam intendens accusare Iudaeos et ostendere Christi opera fuisse mira, meritoque credentes in eum magnum auxilium obtinuisse, incredulis vero poenam magnam imminere, — primo hoc ostendit ex dignitate eius naturae ac deinde ex iis quae per ipsum facta sunt; ex ipso eius adventu et ex adventu Iohannis testimonium de eo perhibentis; dehinc ex donis eius, filiationem nempe adoptivam contulit, quae talis est ut largienda sit ab eo qui coaequalis exsistit cum Patre; postea ex modo adventus eius qui non recusavit esse in carne, ita ut qui vellent facile * reciperent eum; demum recensitis donis eius,

[1] *Ps.* LXXVIII, 12. — [2] *Ps.* LXXXVIII, 51.

comparate ad ea quae Iudaeis data fuere, ostendit Christi dona multum superare illa; atque allegando Iohannem tamquam testem, verbis ipsiusmet eadem comparatione utentis, describit excellentiam eorum. — Haec omnia ergo erant confirmatio causae Christi, atque incredulorum gravis criminatio.

Deinde infert: (v. 19) *Hoc est testimonium Iohannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?* Postquam enim supra narravit Iohannem testimonium de eo perhibuisse et clamasse dicentem..., allegatis quoad subiectum suum verbis Iohannis; confirmat nunc sermonem suum observando, Iohannem illa de eo testatum esse, quando missi fuerant ad eum primi Iudaeorum, ut exquirerent numne ipse esset Messias. Respondit vero non; at neque Eliam se esse reposuit neque exspectatum prophetam. Erat autem secundum verbum Isaiae: *Vox clamantis in deserto*; i. e. praedicantis in deserto, ut audientes praeparentur ei qui venturus esset. Haec non est regis, sed legati actio.

Deinde iterum ab eis interrogatus, quare baptizaret si non esset Elias nec propheta nec Messias, respondit: « Quamvis baptizem ego, non tamen Christi baptismate baptizo, sed in aqua tantum, neque Spiritum confero. At inter vos iam adest, quem ignorantes exspectatis; qui nunc quidem exiguus reputatur, postea vero magnus apparebit. Comparate enim ad me, tanta est eius dignitas ut nec sim dignus, qui pronus * corrigias calceamentorum eius solvam ». * p. 41.

Illis ergo narratis tamquam a Iohanne dictis et testificatis, subiungit evangelista: (v. 28) *Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Iohannes baptizans,* unaque cum eventibus notum fecit locum ubi evenerunt.

Quia vero etiam solet quaeri, quisnam sit ille propheta, quem praeter Messiam exspectabant Iudaei, cum peterent a Iohanne primo num esset Messias, ac responso non, an esset Elias, demum numne foret *propheta ille;* — sciendum est Iudaeos merito exspectare Eliam, nam revera ante secundum Domini adventum venturus est. Hoc autem: *num ipse esset propheta ille,* ignorantes quaerebant. Quia gloria Messiae, priusquam veniret, haud plene nota erat hominibus, sicut nunc qui-

dam de adventu deceptoris illius[1] multa variaque stulte opinantur, ita et tunc multa incongrue de Messia, tamquam secundum prophetias arbitrabantur. Itaque nonnulli dicebant alium esse Messiam aliumque prophetam vehementer tamen errantes; quia prophetia eumdem dicebat exspectandum prophetam et Messiam, qui duplici hoc nomine iure ac merito vocaretur.

v. 29) *Altera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Praecedentia verba, prout ex narratione evangelistae apparet, dicebat Iohannes Baptista quasi iam venerit Dominus atque inter turbas ambularet, quin tamen scirent * eum; nunc vero utpote accedens baptizandus, indicatur verbis: *Hic est agnus Dei.* * p. 42.

Consideremus quomodo Scriptura soleat accommodate factis apponere etiam voces. Dicens enim hoc loco: *Hic est qui tollit peccatum mundi,* non dixit « Filius Unigenitus », nec « Filius Dei », nec « qui est in sinu Patris », prout apparet supra dixisse. Attamen videretur magnitudo naturae eius recte nunc enuntiari, ad confirmandam promissionem eorum quae daturus esset. Haec autem non dixit. Sed « agnum » vocavit illum, quo nomine passionem eius significat. Agnus enim et ovis vocatus est propter mortem suam, cum passione sua diluerit pecatum. Peccato enim in nostra mortalitate regnante, ac vicissim propter peccatum morte in nos invalescente, Dominus et Salvator noster Iesus Christus venit, haec omnia nobis remittens; ac morte per mortem suam destructa, destruxit quoque peccatum in natura nostra propter mortalitatem radicatum. Promisso immortales iam fecit nos, postea vero reipsa faciet, quando immortalitatis dono evacuabit peccatum. Propterea etiam beatus Paulus scribens ad Corinthios, memorata resurrectione, dicebat: *Tunc adimplebitur verbum quod scriptum est: Ubi est, mors, stimulus tuus? Ubi est victoria tua, o inferne?* Et ut doceat nos quisnam sit mortis stimulus cum morte destruendus, addit: *Stimulus autem mortis peccatum est*[2].

Recte ergo hoc loco « agni » vocem adhibuit. Confutando enim opinionem contrariam atque doctrinam ab antiquo iam

[1] Id est: *Antechristi,* secundum II Ioh., 7. οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος. — [2] I *Cor.*, xv, 54-56.

* p. 43. inter Iudaeos * vulgatam, postquam dixit: *Deum nemo vidit umquam*, — nam firma erat inter illos opinio, pluries Eum diversis apparuisse —, merito subiunxit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, ut per veracitatem docentis confirmaret sermonem suum atque probaret hoc esse credendum et non aliud. Loquendo vero de gratia quae data est nobis, et de destructione peccati, designat eum nomine « agni », congruenti collatae nobis gratiae. Manifeste enim, dicendo: *Ecce Agnus Dei*, ostendebat eis quem exspectabant iamiam advenisse. Convenienter quidem hoc agebat. Cum enim secundum verbum Isaiae: *Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se abmutescet*[1], exspectarent quemdam venturum esse, qui pro omnibus moriendo omnium peccata dilueret, optime dixit: *Ecce Agnus Dei*, scilicet, hic est de quo prophetavit Isaias. Evidens est Iohannem Baptistam haec dixisse veniente Domino ad baptismum; hoc innuit ipse ordo verborum sequentium. Notandum est autem hic, quomodo evangelista dixerit Iesum ad ipsum venisse, minime vero addit ipsum baptizatum esse; itaque ex his omnibus apparet, illum quae omissa fuere studiose narrare, superfluum existimantem iam dicta iterare.

v. 20) *Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat;* id est, hic est de quo pluries vobis locutus sum. Nunc vero iterum confundenda est haereticorum astutia, qui verba: *post me venit* et *ante me factus est*,
* p. 44. prout supra dictum est, de hypostasi divina accipiunt. * Diligenter autem ostendimus illud « factus est » neque secundum hypostasim, neque propter eminentem dignitatem esse adhibitam; — attamen neque de divina eius natura, sed de humana hoc esse dictum, clare hic manifestat verbis « post me venit » adiungendo « vir ». Evidenter enim non alium hic intendit, quam illum de quo antea locutus est; itaque ait: *ille est de quo dixi*. Etenim, cum de eodem est sermo, si sequitur vox « vir », evidens est etiam ibi de viro fieri sermonem, minime autem de divina natura; atque ex omnibus patet de eo revera agi. Nam et haec: *non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti*, evidenter alludunt ad naturam humanam, cuius sunt calceamenta. Similiter et hoc: *ecce Agnus Dei* (v. 29), indicat naturam quae dolores passura erat et violentam mortem. Eum vero etiam in humana sua natura Iohanne multo praestantiorem esse, patet et ex maxima eius virtute et ex unione eius cum Deo Verbo qua elevatur non tantum super omnes homines sed super creaturas universas.

[1] Is., LIII, 7.

v. 31) *Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur Israeli, propterea veni ego in aqua baptizans.* Indicavit etiam quare in deserto vixerit; hoc nempe speciali Dei dispositione factum est, ne ullum omnino cum Messia commercium haberet, quod necessario contigisset inter eos, qui eiusdem erant aetatis, propter parentelam, si in civitate transegisset vitam; ac propterea facile orta esset suspicio, illum propter anterius hoc commercium, * propter amicitiam et parentelam, verba illa esse testatum. Ad removendam ergo talem suspicionem, inde ab adulescentia sua segregatus est Iohannes atque in deserto crescebat. Unde merito dixit: *Ego non cognoscebam eum*. Nullam cum eo familiaritatem nec amicitiam habui; sed missus sum baptizare in aqua propter eum, ut eum scilicet manifestarem quem tamen ignorabam. Ostendit ergo clare se propterea etiam baptizare, ut omnibus Iudaeis, baptismi causa accurrentibus, foret occasio audiendi doctrinam ipsius, ac videndi eum de quo testimonium perhibebat; sicut etiam supra interrogatus quare baptizaret si non esset Messias neque Elias neque propheta, respondit se in aqua tantum baptizare, alium vero adesse de quo testimonium perhibebat, ac propterea sese venisse ut illum manifestaret. * p. 45.

v. 32) *Et testimonium perhibuit Iohannes, dicens: Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.* Hinc manifestum est, Spiritum in columbae specie super Dominum baptizatum descendentem non ab omnibus adstantibus visum fuisse, sed a solo Iohanne in quadam spirituali visione, sicut prophetae in medio multorum videre solebant quae omnibus invisibilia erant; secus inutile fuisset dicere, Iohannem testatum esse ac dixisse: *Vidi Spiritum*, si omnes adstantes huius visionis participes fuissent.

Porro stultissimum est quod a quibusdam dicitur; scilicet, ideo Domino Christo inferiorem esse Spiritum Sanctum, quod columba homine sit inferior: nam visio, non natura erat quod * apparebat, ac propterea nullus adstantium hoc videbat. In visione ergo spirituali recepit propheta hanc visionem, sicut et Petrus in solario orans vidit linteamen descendens de caelo plenum omnigenis animantibus[1]. Quod autem videbat non erat natura, sed visio spiritualis quae indicabat ventura. Ipse etiam Deus in igne apparuit, non quidem quod in tali visione minor sit quam si appareret in specie humana, sed ut visionem redderet aptam fini intento.

v. 33) *Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Non dixit: « Tunc cognovi eum quando descendit Spiritus super eum », — nam de eo testimonium iam perhibuit ante baptismum, et prout dixit Iohannes evangelista statim exclamavit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Matthaeus autem narravit Baptistam ei obstitisse ac dixisse: *Ego indigeo a te baptizari et tu venis ad me*[2], — sed dicit: « Nesciebam eum; ille autem qui me misit ut coram omnibus nuntiarem eum advenisse, ac propterea dedit mihi etiam potestatem baptizandi in aqua, hoc praedixit mihi, descensurum nempe super eum Spiritum. » Hoc ergo verbum olim in deserto ei dictum est; et statim ac venit haec faciebat. Veniente igitur Domino ad eum, statim visione recepit ut agnosceret eum, atque testimonio publico locutus est de eius magnitudine.

Quando vero baptizando vidit spirituali visione Spiritum descendentem, prout sibi fuerat praedictum, * tunc certior factus est quia vidit exitum conformem prophetiae. Hoc ergo dixit Iohannes Baptista, narratur vero ab evangelista tamquam dictum a Iohanne, qui etiam ante eventum audivit in deserto hoc esse eventurum. « Quod olim mihi dictum est de eo, inquit, hoc vidi nunc adimpletum; quapropter iure meritoque publice testor, me revera vidisse in eum adimpleta quae per revelationem didici ventura. »

[1] *Act.*, X, 9 seq. — [2] MATTH., III, 14.

Propterea addit: (v. 34) *Et ego vidi: et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei,* id est, quia vidi et ex eventu maiorem circa hoc certitudinem adeptus sum, ideo testimonium perhibeo de eo.

Verba autem: *Hic est Filius Dei,* non de natura divina dicit, indicata eius divina generatione, sed de natura humana propter eiusdem coniunctionem cum Unigenito. Et ideo postquam dixit: *Vidi Spiritum,* et: *dictum est mihi: Super quem videris Spiritum descendentem, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto,* apte intulit: *Vidi et testatus sum, hunc esse Filium Dei.* Etiam nos virtute Spiritus regeneramur ac filii Dei efficimur, propterea vocatur: Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba! Pater noster![1] Quorum principium sunt quae « Christo in carne » contigerunt, qui primus in Spiritu natus est, ac mediante Spiritu coniunctus est Unigenito, unde veram dignitatem Filiationis adeptus est, nobisque communicat donum Spiritus, quo etiam nos regeneramur atque inter filios secundum mensuram uniuscuiusque virtutis computamur. Bene ergo Spiritum, quem vidit super eum post baptisma descendentem, coniunxit huic: *Et vidi et testatus sum, * hunc esse Filium Dei.*

v. 35) *Altera die iterum stabat Iohannes, et ex discipulis eius duo.* (v. 36) *Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.* Evidens est beatum Iohannem per plures dies baptizasse ac praedicasse nuntiantem adventum Messiae. Apostolis autem curae non fuit haec verba accurate referre, quia intendebant facta tantum nota facere. Ecce enim nullus alius evangelista sollicitus fuit dicere, haec evenisse prima die, illa vero secunda, alia demum die tertia; sed simpliciter unusquisque eorum ipsos eventus tantum memoravit. Beatus Iohannes vero intendens referre praetermissa, quae sibi omnino narranda videbantur, etiam secundum chronologicum ordinem historiam texit.

Post baptismum ergo Domini, perseverabat Iohannes in eodem negotio, nec cessabat baptizare; — ideoque post alia dixit evangelista, Iohannem adhuc instare baptizantem in Aennon

[1] *Rom.*, VIII, 15.

iuxta Salim [1]; — revertente autem Domino, iisdem verbis erga eum utebatur.

v. 37) *Et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Iesum.* Statim ergo etiam adstantes discipuli eius, auditis his verbis, reliquerunt eum ac properarunt ad Iesum de quo testimonium perhibebat.

v. 38) *Conversus autem Iesus et videns eos sequentes se dixit eis: Quid quaeritis?* Non quidem velut ignorans haec dicit, sed ut illis occasionem praebeat fiduciae erga se. Illi autem statim « Rabbi » vocaverunt eum, ita pandentes intimam mentem suam, quippe qui non * alia ratione ad Iesum sint adducti quam desiderio oboediendi ei tamquam magistro, simulque petierunt ubi habitaret acsi vellent frequenter eum adire (v. 38). Ipse vero non indicavit domum, sed dixit eis ut venirent post se ac viderent, ita eis dando locum maioris familiaritatis et fiduciae erga se. Unde cum secuti essent eum et iam decima hora esset, reliquum diem ac totam noctem remanserunt apud eum. Et quia ibi dixit, illos diem apud eum degisse, indicat eosdem mane facto esse profectos; prout contextus sequens clare innuit.

Dicit autem unum ex illis, qui secuti sunt eum, fuisse Andream, fratrem Simonis, alterius nulla mentione facta. Manifeste vero hic est ipse beatus Iohannes. Semper enim apparat silentio praeterire, quae seipsum respiciunt; atque etiam quando nonnulla ad se pertinentia narravit, nomen suum vitavit apponere; nisi vero qui receperunt evangelium, titulo praefixo indicassent scriptorem, neque de quo locutus sit scire possemus.

Refert deinde, etiam Andream invenisse fratrem suum Simonem, — hic enim nondum vocatus erat Petrus, — eique nuntiasse se exspectatum Messiam vidisse. Etenim verba: *invenimus eum,* indicant eum exspectatum esse (v. 41).

Assumpsit eum, pergit evangelista, et adduxit ad Iesum. Ipse vero statim ac vidit eum, ut ostenderet se non indigere tempore ad mentem uniuscuiusque cognoscendam, volensque Simoni testimonium Andreae de se comprobare, dixit ei:

[1] Ioh., III, 23.

Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. Primum dixit quis sit cuiusque filius, deinde quomodo vocandus. Ita enim * quae futura sunt audientes, credere poterant; cum per manifesta signa compertum haberent ipsum non indigere ut discat circa quemcumque quisnam sit cuiusve filius.

Hinc ergo patet, illos transacta apud eum die qua secuti erant eum, crastina iterum esse profectos; itaque Andreas invenit fratrem suum, quem erudivit circa Iesum, fratremque assumptum duxit ad Iesum.

v. 43) *In crastinum voluit Iesus exire in Galilaeam et invenit Philippum, et dixit ei: Sequere me.* (v. 44) *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Simonis.* Dixit quidem evangelista Philippum a Domino esse vocatum, sed non addit eum secutum esse; hoc tamen necessarium videbatur. Factis hoc ostendit, quia narravit ab ipso alios discipulos fuisse adductos, ut Nathanaelem; illud tamen expressis verbis non posuit. Inde patet, evangelistas huic tantum operam dedisse, ut facta concise narrarent eaque simpliciter describerent. Manifestum est autem Dominum haud temere Philippo dixisse ut veniret post se, nisi compertum haberet se illi tamquam Messiam accurate notum esse. Probabile enim est multos propter firmum Iohannis testimonium, eamdem de eo opinionem habuisse. Neque Philippus ex sola illa sequendi invitatione persuasus esset, nisi similia iampridem de eo audiisset. Credo revera hoc inter homines evenire, quod nonnulli scilicet, etsi ardenter exoptantes, erubescant accedere ad eum quem diligunt; dum alii, fiducia ardentis dilectionis suae impulsi, non timent et operibus * manifestare sensus suos. Aliquid simile tunc, sicut aliis hominibus, ita et Apostolis accidebat.

Quidam nempe statim propter Iohannis testimonium de eius amore, secuti sunt eum, quamvis et ipsi verecundi. Ecce enim ad eos conversus incipiebat Dominus noster eis loqui ad fiduciam ingerendam, quia tanto magis eum reverebantur, quanto maiorem eum exhibebat Iohannis testimonium. Philippus quidem desiderabat idem facere, at impeditus est pudore, quem Dominus superare fecit dicendo: *Sequere me.* Ostendit enim se permittere, immo et desiderare ut accedat; et cum vellet ut

fiduciam erga se haberet superato pudore, sufficientem praebuit ei occasionem exsequendi voluntatem eius qui dixit ut veniret post se.

v. 45) *Invenit Philippus Nathanael et dixit ei: De quo scripsit Moyses in lege et prophetis* [1] *invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.* Hinc ergo clarum est Nathanaelem secutum esse Iesum; non enim alios docuisset nisi prius credidisset. Verba: *invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth,* conexuit his: *de quo scripsit Moyses in lege et in prophetis.* Non vult dicere: Illi ita scripserunt, scilicet: « Iesum, filium Ioseph esse ex Nazareth »; sed: « Filium Ioseph, qui est ex Nazareth, invenimus esse illum, de quo scripserunt Moyses et Prophetae in lege, i. e. Christum. »

v. 46) *Dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ita revera non est, sed intellegendum est sensu contrario (* p. 52.) * et dubitanter, i. e. « Quomodo possibile est ut aliquid boni veniat a Nazareth? » Valde enim contemnebatur inter Iudaeos nomen huius pagi, quia nimirum eius incolae pagani erant, et tamquam impossibile erat ut aliquid boni exinde proveniret. Propterea etiam Pharisaei dicebant Nicodemo: *Scrutare et vide, quia a Galilaea propheta non surgit* [2]. Recte igitur Philippus Nathanaeli ait: *Veni et vide.* « Cum enim, inquit, opinio illa antiqua obiciatur, ego facta ipsa tibi ostendere promitto. » Hoc autem superfluum esset ei, qui semel veritati crediderit.

v. 47) *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, et dixit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* (48). *Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Dicit ei Iesus: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Dominus noster primo ad se venientibus, utpote omnino confirmandis, apte incipiebat dicere res ipsis evidentes, ut secretam suam omniscientiam panderet. Ita revera Simoni ad se venienti statim dixit, quo nomine vocaretur et cuiusnam esset filius. Philippo autem, quippe

[1] Ita, singulari modo, in editione *Pešitta.* Editiones vero graecae, modo magis obvio, legunt: ὃν ἔγραψεν Μωϋσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται similiter et latine: *quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae.* Atque haec lectio in sequenti theodoreo commentario supponitur.

[2] Ioh., vii, 52.

qui sequi eum desideraret, sed pudore cohiberetur, dixit: *Sequere me,* ut manifestaret quid ipse in intimo corde suo optaret. Nathanaelem demum, ancipitem haerentem, a principio allocutus est cum laude dicens: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est,* testimonium circa hoc secundum veritatem proferendo; non enim laudabat quod in eo non erat. His verbis autem: *in quo dolus non est,* significat illum absque personarum acceptione cum recta intentione dicere quod putat. * Itaque (* p. 53.) circa ea, quae a Philippo dicta fuerant, dubius haesit, atque ingenue absque pudore mentem suam pandit. Ecce nequidem modo ac laudatus est, encomio cessit; at statim rogavit undenam Iesus eum cognosceret. Dominus vero, etsi praesens non fuisset, clare indicavit ei et locum et arborem sub qua erat, priusquam a Philippo vocaretur, ut hoc modo excellentiam virtutis suae manifestaret.

Unde et Nathanael, ipsis operibus convictus, dixit ei: (v. 49) *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel;* id est, tu es Messias, qui iamdudum est nuntiatus. Messias profecto ab illis exspectabatur tamquam Dei prae omnibus familiaris, tamquam rex Israel, quamvis obscurius et carnaliter de eo cogitarent. Nec enim quomodo esset Filius Dei Iudaeos tunc erat possibile scire, nec quomodo rex Israel. Manifeste vero etiam Nathanael non dicebat eum *Filium Dei* generatione divina, sed familiaritate; quatenus homines, virtute sua accedentes ad Deum, filii Dei vocabantur. Nec enim possibile erat Nathanael statim hoc scire, quod post longum tempus ipsos apostolos tandem cognovisse videmus; quae autem ad ipsum fuerant a Domino dicta, sufficere non poterant ad demonstrandam alteram naturam. Namque de prophetis talia narrantur; v. gr. Elisaeus discipulum suum reprehendit quod a Naaman aurum accepisset [1]; quamvis longe abesset, opus tamen quomodo actum sit, manifestavit. Talis fuit ergo modus agendi * prophetarum, qui revela- (* p. 54.) tione Spiritus haec cognoscebant. Quod ex sequentibus melius apparebit.

Quid ergo respondit ei Dominus? (v. 50) *Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis? maius his videbis.* Sic ostendit nihil esse

[1] IV *Reg.,* v, 26.

magnum quod a se dictum fuerat, nec ad plane patefaciendum qualis erat sufficiens.

Et quaenam sint maiora, quae visurus est, declarat: (v. 51) *Amen, amen dico vobis: ab hoc tempore videbitis caelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis.* Ecce si vocasset eum « filium » secundum divinam generationem, quid maius visurus esset? Aut quomodo maius illo foret: angelos videre ascendentes et descendentes super eum? E contra illud est multo maius et mirabilius; quia confessae naturae divinae, quae est omnium principium, non tantum congruit, ut sciat Nathanael angelos ascendere et descendere super eum, quod semper fit in utilitatem totius generis humani, sed insuper ut intellegat eum angelorum esse conditorem. Nunc autem post confessionem illam dicit aliquid maius, quo apparet titulum « Filii Dei » sensu, quo diximus, a Nathanaele fuisse prolatum.

Angelos ergo ascendentes et descendentes super se dixit, quippe qui ministrent in iis quae ab ipso fiunt. Matthaeus enim evangelista post tentationes dixit: *accesserunt angeli et ministrabant ei* [1]; manifeste cum eo erant servientes ei in omnibus quae a Deo erga eum fiebant, ita ut in certamine cum diabolo victor evaderet. Sed et quod passuro ei aderant * angeli, ex evangelio discimus [2]; et postquam resurrexit, prope monumentum visi sunt [3]; similiter cum ascendisset in caelum, adstiterunt iuxta apostolos [4]. Per quae omnia Christi dignitas monstrabatur, quod sine intermissione ei angeli aderant, in omnibus, quae circa eum contingebant, ministrantes. Quapropter recte dicit, maiora istis illos esse visuros; angeli nempe semper ei praesto forent ascendentes et descendentes, seu diligentissime ministrantes in iis quae apud eum contingunt. Hoc revera supradicto maius est; quoad divinam naturam autem valde exiguum foret, decebat enim eum ceu angelorum conditorem agnosci. E regione, naturae humanae haud parva erant, quae propter divinam naturam inhabitantem contingebant; et quia universo generi humano fiebat gratia per ea quae apud eum eveniebant.

* p. 55.

[1] MATTH., IV, 11. — [2] LUC., XXII, 43. — [3] MATTH., XXVIII, 2 sq. et l. par. — [4] *Act.*, I, 10.

[CAP. II, v. 1]. — *Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi.* Evidens est, hanc « tertiam diem » computari tertiam diem post baptismum [1]. Diem primam enim dixit, qua Andreas eiusque socius secuti sunt eum et apud eum pernoctarunt [2]. Dies secunda illa est, qua evenerunt quae de Philippo et Nathanaele narrata sunt [3]. Tertia demum dies est, qua locum habuerunt, quae contigerunt in hoc convivio nuptiali. Manifeste vero haec omnia in Galilaea facta sunt; statim enim post baptismum eo profectus est ibique versabatur. Quae autem in certamine cum diabolo acciderunt, quae recolit Matthaeus [4], evidenter postea habuerunt locum: Matthaeus enim de ordine eventuum non * curabat, sed facta tantum refert.

* p. 56.

v. 2) *Vocatus est*, pergit, *ad nuptias Iesus et discipuli eius.* Discipulos hic vocat, quos supra memoravit tamquam ei iam adhaerentes; nondum enim duodecim credebant aut congregati fuerant. Ideo non statim in arduis exercebat eos Dominus, sed etiam ad convivium nuptiale ibat.

v. 3) *Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Mater eius, matrum more, excitabat eum ad miraculum patrandum, desiderans ut iamiam reveletur filii sui magnitudo, atque putans vini defectum propitiam miraculo praebere occasionem.

v. 4) *Dominus autem dicit ei: Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea?* Sensu contrario legendum est hoc: *Nondum venit hora mea?* Id est: quare me sollicitas et quid molesta es mihi? Noli cogitare distincta mihi adesse momenta cognitionis atque operum, prout contingebat Moysi, qui nunc manna, tunc carnem dare potuit, dein aquam scaturire fecit de petra, prout requirebat necessitas sumentium, quippe qui per acceptam virtutem haec largiebatur eis. Haud ita, inquit, etiam mihi contingit. Semper enim adest mihi potentia operandi quandocumque vel quoquo modo voluero; atque etiam quin urgeat sumentium necessitas, non sum incapax manifestandae virtutis meae. Ergo praetextus deficientis vini, a te allatus,

[1] *Supra*, I, 29 sq. — [2] *Ibid.*, 35 sq. — [3] *Ibid.*, 43 sq. — [4] Cap. IV.

contumelia est mihi; acsi propter aliorum indigentiam acciperem operandi potestatem; et non e contrario quia potens sum, ideo haec necessitas locum haberet.

Propterea et mater eius, intellegens quod dixit, statim ministris aiebat: (v. 5) *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Nam quia intellexit * horam vel momentum ei non esse determinata ad signa patranda, neque sumentium indigentiam ei opitulari ad dona conferenda, ita ut exspectare debeat praefixum sibi tempus, — poterat vero operari quaecumque volebat, — ideo maiore cum fiducia praecepit ministris ut oboedirent ei.

* p. 57.

Si autem verba: *Nondum venit hora mea,* imperative seu definite essent dicta, prout quidam putaverunt, perinde acsi recusaret opus facere, destitisset mater eius; neque e contrario, ut oboedirent ei ministri praecepisset.

v. 6) *Erant autem,* prout dicit evangelista, *lapideae hydriae sex positae ibi, quibus utebantur Iudaei secundum consuetudinem pro purificationibus suis.* Probabile est omnes domi suae tales hydrias habuisse, quia secundum legem frequenter indigebant purificari.

v. 7) *Iussit ergo implere eas aqua; et impleverunt eas usque ad summum.* Haud frustra addidit: *usque ad summum*; sed ne oriretur suspicio, si pauca fuisset aqua, vinum fuisse admixtum; eumque, decepto illorum gustu, conversionem aquae in vinum simulasse. Iidem ergo hauriebant qui et distribuebant. Aqua vero, prout placuit iubenti, in vinum est conversa, quod contigit non tantum ut bibentium sitis saturaretur, sed abundantius dedit eis vinum in posterum. Intendit enim Dominus eodem actu demonstrare quod dixit; scilicet, non esse sibi praefixum tempus ad prodigia operanda, neque aliorum necessitate se in hoc negotio adiuvari, sed iuxta abundantes virtutis suae divitias opus exhibere quandocumque velit.

Deinde dicit evangelista, architriclinum gustasse aquam in vinum conversam. — Architriclinum vocat, qui ministerio mensarum * apparatuique nuptiarum praeerat. — Cum autem gustasset vinum, pergit, ac nesciret undenam esset, ministri autem sciebant qui impleverant hydrias aqua: vocavit sponsum et incepit increpare eum, quia dum inter homines

* p. 58.

mos est offerendi primo vinum bonum, ipse hoc servavit usque ad finem, satis superque saturatis convivis (v. 10).

Praeterea nihil addidit evangelista; probabile vero est illum, audito vinum defuisse, concepisse dubium scientem sponso non aliud esse vinum; atque, inquisitione facta undenam esset vinum hoc, miraculum patratum didicisse. Nihil tamen horum addidit Iohannes, sed hoc tantum, scilicet, architriclinum vocasse sponsum eumque increpasse quod *vinum bonum* servasset usque in finem. Hoc autem retulit, ut ostenderet non tantum aquam in vinum, sed insuper in admirabilem quamdam vini speciem esse conversam. Cetera vero tamquam superflua nec narrationi suae inservientia neglexit.

Quibus dictis concludit: (v. 11) *Hoc est primum signum, quod fecit Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius.* Ecce nisi respondisset sponsus architriclino neque verba dicta fuissent quibus appareret prodigium operatum, supervacanee nunc diceretur ipsum manifestasse gloriam suam. Evidens ergo est talia verba tunc incidisse, quibus apparuerit et opus et qui illud operatus est. Quapropter, sicut dicit evangelista, *crediderunt in eum discipuli eius,* quamvis antea iam crederent; at significat eos fuisse magis confirmatos, fidem enim frequenter * pro confirmatione ponit. Abstinuit vero ab illis narrandis tamquam fini sibi proposito haud inservientibus.

* p. 59.

Signum hoc esse primum patet; hoc enim expresse affirmat evangelista, indicato simul loco ubi prodigium factum est. Atque stulto credi quae feruntur a Domino facta in pueritia sua, etiam manifeste sequitur non tantum ex hoc textu, sed insuper ex eo quod Iohannes Baptista tamquam ignotum indicabat eum [1]. Si autem quae de illo vulgo traduntur, revera facta fuissent, multo magis inde publice notus fuisset quam mero verbo Iohannis.

At si hucusque nullum fecerit prodigium, atque hoc revera primum operatus sit, quaerendum est cur mater eius, veluti gnara potestatis eius, appropinquaverit ad eum, deficiente vino, atque dixerit: *Vinum non habent.* Undenam ergo sciebat

[1] *Supra,* I, 26.

eum haec operari posse? Certum est, matrem eius iampridem a pueritia eius magnam de eo concepisse opinionem. Nam quando secundum ritum Legis eum adhuc infantem portavit ad templum, ut offerret pro eo sacrificium primogeniti, ex verbis Simeonis prophetantis super illum atque ex verbis Annae compertam habuit magnitudinem filii sui [1]. Idem didicit ab Angelo nuntiante eius conceptionem ac dicente: *Sine viro de Spiritu concipies, eritque magnus ac Filius Altissimi vocabitur* [2]. Deinde quando natus est ac positus in praesepio, ab angelis edocti sunt pastores, qui venerunt visum narrantes [3]. Quibus adiungit evangelista dicens: *Maria autem conservabat* (* p. 60.) * *omnia verba haec, conferens in corde suo* [4]. Nec etiam verba Elisabeth ad eam exigua fuere [5]; at ceteris mirabilius fuit factum Magorum [6]. Ex his omnibus ergo poterat magnitudinem eius compertam habere; quod si istis adiungatur Iohannis testimonium, iure meritoque in maximam admirationem habebat eum.

Post hoc vero miraculum dicit: (v. 12) *Descendit ipse et mater eius fratresque ac discipuli eius in Capharnaum, et ibi remanserunt non multis diebus.* Deinde ad aliam historiam migrat, pluribus quae interim evenerunt omissis, utpote ab aliis iam narratis. Chronologicum tamen ordinem eventuum non pervertit; sed dixit evenisse *postea*, quae postremo contigerunt, post ea scilicet quae narravit primo.

Dicit igitur: (v. 13) *Prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam,* prout omnes solebant ascendere; (v. 14) *et invenit mercatores pecorum et nummorum,* — hos autem *nummularios* vocat — (v. 15) *fecitque flagellum ex funiculis,* quia nolebat nocere, sed occasionem ingressui suo carpere, et omnes inde eiciebat dicens: « Talia non congruunt huic loco. »

v. 17) *Recordati sunt vero discipuli eius scriptum esse: Zelus domus tuae comedit me.* Hoc quidem in prophetia de eo non erat dictum, sed opportune faciebat quod templum decebat. Iustorum enim est pro domo Dei zelare, indeque arcere quae non decent.

[1] Luc., II, 22-38. — [2] Luc., I, 31-32. — [3] Luc., II, 7-18. — [4] Luc., II, 19. — [5] Luc., I, 42-45. — [6] Matth., II, 1-12.

Iudaei autem signum petebant propterea quod hoc faceret, quamvis signum ad hoc non esset necessarium; hoc ipsum enim quod faciebat portentosum erat; et si signum requiratur, iamiam factum est.

Prout superius dixi, videtur evangelista haec * non iuxta (* p. 61.) ordinem narrare, sed plura omittere quae interim evenerunt. Neque enim Dominus statim ad tantum opus accessisset, nisi prius miraculis seipsum manifestasset; neque mercaturam ibi gerentes tolerassent se expelli, si a viro quolibet ignoto factum hoc fuisset.

Sed dicit eis: (v. 19) *Solvite templum hoc, et intra triduum erigam illud.* Nam quia videbatur non negotiationem tantum, verum etiam victimarum ritum sustulisse, — quandoquidem boum columbarumque venditores ibi mercaturam gererent, ut a longinquo venientes peregrini victimas pro sacrificio emere possent, — propterea merito ad resurrectionem accessit perinde as si diceret: « Si haec scire vultis, paulisper exspectate. Cum enim me occisum putabitis, tunc resurgens omnibus meipsum exhibebo ostendamque qui sim. Et sic quidem veteribus illis antiquatis, novus ritus novumque regimen inaugurabitur, sicut et aevum novum post resurrectionem erit praedicandum. »

Attamen Dominus noster subobscure haec et mysteriose dicebat, sicut et illa symbolico fine faciebat, allusione tantum adumbrando intentum suum neque manifeste haec agendo. Iudicabat enim auditores nondum accipere posse quae dicebantur; unde neque discipuli intellexerunt, prout observat evangelista. Credebatur enim, eiciendo venditores boum pecorumque, abolere mercaturam; re autem vera significabat fore ut * sacrificia brutorum animalium abolerentur.

Iudaei ergo non intellegentes vim eorum quae dicebat ac faciebat, putantes eum de hoc materiali templo loqui, aiebant: (v. 20) *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu intra triduum eriges illud?* Aedificationem templi dicunt per quadraginta sex annos durasse, inde scilicet a reditu Babylonis; per totum illud spatium enim aedificatum est. Non quod tantum tempus pro aedificatione necessarium fuerit, sed illam impedientes causa fuere ut tamdiu protraheretur eius fabricatio, prout accurate ex libris historicis sciri potest.

Evangelista vero ait: (v. 21) *Ille dicebat de templo corporis sui,* quia conveniens aestimabat etiam sensum obscuriorum Christi verborum explanare.

Sed quomodo non considerant haeretici, ipsum post verba: *destruite templum hoc,* addidisse: *intra triduum erigam illud?* Clare enim ita ostendit haud ad seipsum referri destructionem, sed ad templum destruendum; neque alio se indigere ad templum restituendum, sed sibimet ad hoc sufficere.

Intra triduum, inquit, *ego ipse erigam illud;* id est, faciam eum resurgere. Ergo quamvis Pater dicatur Christum suscitare, sensus tamen huiusmodi expressionis non est dubius; concordia enim, quae inter utrumque quoad omnes operationes habetur, efficit ut aequali iure tribui possint tam Patri quam Filio.

Evangelista autem explicando verbum Domini nostri dicit: (v. 22) *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eum hoc dixisse; et crediderunt Scripturae, et sermoni quem dixit Iesus.* Hoc, inquam, evangelista dicit, ut ostendat nec ipsos discipulos tunc intellexisse, * haec dicente Domino; sed ipsa eventuum completio faciet eos intellegere quod dictum est, certioresque eos reddet de pleno sensu sermonum eius atque operum.

Ab ipso eiectos esse e templo boum pecorumque venditores, narrant et ceteri evangelistae [1]. Ipse vero recoluit etiam hoc factum, — quamvis de iis tantum loquatur quae illi neglexerunt scribere, — perinde acsi bis idem a Iesu factum esset. Attamen non absque ratione hoc evenit, prout ex pluribus videre possumus; nam quod ab aliis fuit dictum, non repetiit ipse, nisi propter vim doctrinae ex eventu prodigioso sequentis. Alii enim dixerunt tantum Iesum illos expulisse. Ipse vero adiunxit praeter verba quae Pharisaei ei obiecerunt, responsum iisdem a Iesu retorsum. Neque alludebat tantum ad resurrectionis factum, sed etiam ad tempus quo futura esset; innuebatque magnam differentiam haberi inter illum qui passionem subiret ac per quem suscitaretur. Insuper audimus neque discipulos plura tunc dicta intellexisse. Propter haec

[1] MATTH., XXI, 12-13; MC., XI, 15-19; LUC., XIX, 45-48.

omnia ergo quae dicere intendebat, memoravit eventum, quem ab aliis iam narratum esse constat.

Demum addit: (v. 23) *Cum esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in eum, videntes signa quae faciebat.*

Explicit liber primus.

LIBER SECUNDUS.

[CAP. II, v. 23]. — *Cum autem esset Iesus Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in eum, videntes signa * quae faciebat.* His verbis manifestat evangelista Iesum plura signa operatum esse, propter quae multi ad fidem accesserant. At illa narrare omisit, quia non intendebat omnia (Christi) opera describere, sed ea tantum quibus exhortatio quaedam aut fidei doctrina annexa erat, vel quae omnino referenda erant utpote ab aliis praetermissa.

v. 24) *Ipse vero Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,* (v. 25) *et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Sed si vere crediderint, quare ipse non credebat semetipsum eis? Manifeste ergo verba: *multi crediderunt in eum,* heic non dicuntur de fide vera atque firma, prout est illorum qui semel credentes vera esse eius verba, tamquam veritatis doctorem reputant eum, minime dubitantes de iis quae ab eo dicuntur; hoc est enim vere credentium; — sed stupefacti propter ea quae evenerant, tamquam virum admirandum ac magnum laudabant eum. Minime tamen omnes pariter eius verbis assentiebant, aliis morem non gerentes, hoc est enim vere credentium; quare adiecit: *non credebat semetipsum eis.*

Habetur autem in verbis istis peculiaris doctrina verae fidei. Manifestatur enim virtus scientiae Christi, propter quam haud fallebatur specie illorum qui ad eum accedebant, sed omnes distincte cognoscens, iamiam sciebat quinam veri essent discipuli, et quinam * intra se dubitarent aut fallaci specie accederent ad eum.

Verumtamen his dictis, ad confirmanda verba sua refert evangelista historiam Nicodemi. Nam et ipse, propter patrata miracula, admirabatur Dominum nostrum, at nondum firma convictione absque haesitatione adhaerebat iis quae ab eo dicebantur, ita ut crederet considerans eum tamquam veritatis magistrum. Verbis enim Nicodemi ad Dominum nostrum atque huius responsis, clare manifestat quod supra dicebat, scilicet: *non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.*

[CAP. III, v. 1]. — Erat autem Nicodemus quidam *ex Pharisaeis.* Hi sunt qui legis doctrina gloriabantur, quibus etiam multi Iudaeorum morem gerebant, ideoque et secta eorum celebris erat populo. Venit autem *nocte* ad eum, ipso nocturno tempore pandens animum suum; nam quia diffidebat a Iudaeis, hoc tempus elegit ut cautius absconderetur ab eis.

Statim ac venit, dicit ei: (v. 2) *Rabbi, scimus quia a Deo missus es magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* A laudibus exorditur orationem suam; solent revera homines, praecipue virum illustrem alloquentes, talibus verbis incipere. Unde et Nicodemus dicit: « Scimus te doctorem esse verum, atque a Deo te missum fuisse, hoc enim nobis probant miracula a te patrata. » At Dominus noster non attendebat ad laudes eius; * sciens vero, testante (* p. 66.) evangelista, intimam eius mentem haud correspondere dictis, incepit verba loqui accommodata discere cupienti, praecipue dum semel agnovit sibi constare eum a Deo venisse magistrum. Haec autem accedentis mentem severe incusabant dubiam, unde ne ullum quidem ex verbis sibi dictis accipiebat.

Propterea dicit ei: (v. 3) *Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* « Si ergo creditis, inquit, me a Deo missum esse magistrum, atque patrata miracula huc vos inducunt, prout dicitis; doctrina nostra, vitae rationem postulat aliam, atque principium exspectat generationis novae. » Ita revera speramus videre regnum Dei, quod, dum mortales simus, recipere non possumus, nisi mortui resurgamus incorruptibiles. Credimus vero haec typice fieri per baptismum: renascimur enim in typum resurrectionis, utpote novi effecti.

v. 4) *Dixit ei Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et nasci?* Haec ipsa quaestio erat increduli; non enim ceu credens rem fieri posse, inquirebat circa naturam ac modum nativitatis. Hoc clare apparet ex eo quod nec indubitanter veritatem horum verborum admittit, etiam postquam didicit de spirituali agi nativitate. Ne ergo materialiter * acciperet verba (* p. 67.) sibi dicta, ac proinde impediretur ab attingendo vero eorum sensu, clare Dominus noster quaestioni eius respondet exponens quomodo eveniat nativitas ista: (v. 5) *Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quia ille dixerat: « Numquid potest quis iterum in ventrem matris suae introire et nasci? » idcirco Dominus noster quomodo hoc futurum sit exposuit, dicens ex aqua et Spiritu hoc fieri. Aquam dixit, quia in ea negotium completur; Spiritum vero, quippe qui per aquam virtutem suam exserit. Hic siquidem, et non aqua, Spiritus adoptionis appellatur, quandoquidem virtute eius regeneremur. Quam ab causam et in baptismo Spiritum una cum Patre Filioque nominamus, aquae vero neutiquam meminimus, ut vel inde manifestum sit aquam signi instar et propter (visibilem) usum adhiberi. Spiritum vero tamquam effectorem una cum Patre Filioque invocamus; quandoquidem etiam Dominus istis verbis: « Potestne in ventrem matris suae introire et nasci? », haec *de aqua et Spiritu* opposuit. Quemadmodum in naturali generatione venter est locus in quo plasmatur infans, divina autem virtute perficitur quae ab initio efformat eum; sic et in hoc loco, aqua quidem matricis, Spiritus vero effectoris Domini vices subit. Dicitur etiam baptismus signum mortis et resurrectionis, ac propterea etiam regeneratio vocatur. Nam sicut qui resurgit post mortem censetur denuo creatus; ita et * qui (* p. 68.) gignitur baptismo, dicitur denuo natus, quatenus primo in aqua moritur ac simili modo divina virtute exinde resurgit; cum immersio censeatur ei in sepulcrum, erectio autem capitis per singulas invocationes [atque emersio] sit ei, Spiritus virtute, resurrectionis instar.

Ut adhuc magis removeret intellegentiam a corporali nativitate, dixit Dominus: (v. 6) *Quod natum est ex carne, caro est:*

et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Hoc dicere intendit, generationis nempe negotium necessario simile esse naturae generantis: quando ergo caro generat carnem, necessario et nativitas corporalis est; quando autem spiritus est genitor, incorporalem et spiritualem oportet intellegamus nativitatem. Ostendit vero etiam per hoc aquam, quam Spiritui coniunxit, cum eodem non operari, sed signi instar et pro (visibili) usu dici, cum iterum non addiderit « quod natum est ex aqua » sed tantummodo « quod natum est *ex Spiritu* », clare generationis negotium Spiritui tribuendo.

Et quia Nicodemus adhuc anceps haerebat circa verba ista, iterum adiecit dicens: (v. 7) *Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo;* id est, noli in dubium revocare quod dictum est. Et quomodo non dubitarem, cum verba haec excedant naturam meam? (v. 8) *Spiritus,* ait Dominus, *ubi vult spirat: et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Non naturam tuam considera, sed intellege virtutem generantis. Spiritus sanctus enim, quia omnipotentiam habet, omnia prout vult operatur, nihilque eius operationi resistit. Vocem ergo eius * audis, inquit; id est, rumorem adventus eius percipis; scire autem nequis quo loco contineatur persona eius ut intellegas modum operationis eius. Sicut enim immensa est natura eius ideoque adest ubicumque velit; ita et actio eius ineffabilis est, quia omnia iuxta voluntatem suam operatur. Bene autem dixit *vocem eius audis,* quia et descensus eius primus super apostolos evenit cum strepitu, audiebant enim sonum tamquam venti vehementis; linguas etiam loquebantur per virtutem Spiritus, quae erat super eos [1].

* p. 69.

Itaque postquam omnia ad Genitoris altitudinem extulit, optime concludit: *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu;* id est, talis est Spiritus generatio; cogitationibus hominum nequit comprehendi; sed, utpote excedens captum eorum, rumore solo fieri deprehenditur ad recipientium utilitatem.

Mirandum est quod putant quidam, de spiritu aereo hoc dici. Quomodo enim verba: *ubi vult spirat,* convenirent huic spiritui

[1] *Act.*, II, 1-4.

seu vento, qui nec voluntatem habet, cum emissis auris inanimatis moveatur? Aut quomodo dici posset: *nescis unde veniat et quo vadat?* Dum e contra omnes homines sciunt unde spiret ventus; et illi qui volunt, possunt se ab eius flatu tueri. Multi vero statim atque efflat aliquis ventus, dicunt eius nomen, reipsa indicantes etiam plagas et loca per quae saevit.

Hoc ideo *sic est,* non comparative dicitur, sed demonstrative; id est, hoc dicto modo. Ita etiam in hac sententia: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut * Filium suum unigenitum daret* [1], particula *sic* demonstrative, minime vero comparative dicitur.

* p. 70.

v. 9) *Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri?* Hic manifeste se prodit dubitantem de verbis sibi dictis. Quare et Dominus ironice, id est accusando, dixit ei: (v. 10) *Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* Quia profitebantur semper docere, narrantes gesta sive Moysis sive Eliae aut cuiusvis alius ex prophetis; cumque exigerent ab auditoribus ut fidem praestarent verbis suis, — omnia enim ista mira erant et excedebant mentes humanas; — ideo apte ex hoc docendi munere vituperabat incredulitatem eius.

Atque clarius hoc explicans addit: (v. 11) *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.* Ecce, inquit, ego doceo quorum certam possideo scientiam, et quorum sum testis atque auctor, cum ea operer cum Spiritu. Vos autem docentes etiam quae ignoratis, adhuc requiritis ut vobis credant auditores. Profecto verba: *quae scimus loquimur, et quae vidimus testamur,* divinam naturam indicant, at subobscure hoc indicavit, quia nondum capax erat ille qui hoc audiret. Qui autem attente considerat, in omnibus eius verbis idem deprehendet.

Deinde subiungens ait: (v. 12) *Si terrena dixi vobis et non creditis: quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* Terrenum vocat baptismum, quia hic in terra completur; caelestem vero vocat generationem suam divinam, eo quod multum superat spiritualem generationem inter homines * contingentem. « Si ergo haec a vobis non admittuntur, quomodo credetis mihi

* p. 71.

[1] Ioh., III, 16.

accedenti ad sublimia et disserenti de natura mea propria? » Haec autem aperte non sunt dicta, sed caute insinuata.

Explicat vero clarius insinuationem suam dicens: (v. 13) *Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* Hoc revera videtur clarius praecedentibus, attamen hucusque non est nisi insinuatio, unde et materialiter est dictum. Si quis enim de divinitate dicta esse velit haec « ascendit » et « descendit », indicium foret magnae stultitiae. Qualis nempe ascensus aut descensus erit ei, qui semper est in caelo et in terra? Designatur profecto ipse, cum dixerit: *ille qui est in caelo,* ut praecaveat ne intellegamus descensum eius de migratione e loco. Nam si est in caelo, non descendit migrando de caelo; si vero descendat migrando e caelo, iam non est in caelo. Sed evangelista hoc etiam clare manifestavit initio libri sui dicens: *in mundo erat* [1]. Qui ergo olim iam in terra erat et simul est in caelo, manifeste semper in caelo et in terra est. Haec ideo: « ascendit » et « descendit » materialiter dicuntur. Alius est ergo sensus iuxta veram interpretationem. — Si hoc autem dicitur de humana eius natura, quae revera *ascendit de terra in caelum* [2], verbum « descendit » eidem non congruit; nam ex semine David nata est, minime vero de caelo descendit. — At duo haec coniunxit loquens de iis quae humanae suae naturae contigerunt; et quia sensus eorum quae dicebat superabat mentem Nicodemi, coniungendo ea cum divinis confirmavit * quod dicere intendebat. Sicut si quis hominem vocat rationalem, propter sapientiam eius ita vocat eum, atque exinde etiam probat dictum suum. Nam quia caelestia non erant committenda ei, qui verba sibi dicta non credebat, ideo adiecit haec: *Nemo ascendit in caelum* et cetera. Ac si significare vellet: Quamvis dicta non credatis, ipsi eventus tam manifesti erunt qui vincant incredulitatem vestram; futurum est enim, ut Filius hominis ascendat in caelum, quod hactenus nulli hominum contigit. Quando ergo ascendet, clare manifestabit naturam in se habitantem, quae scilicet descendit haud mutato loco. Est enim et nunc in caelo, inde minime distans. Sed quia ultro habitavit in eo, ipseque eum sibi univit, atque voluit eum

* p. 72.

[1] Ioh., I, 10. — [2] *Act.*, I, 9.

consortem fieri honoris sui, idcirco in caelum assumpsit eum super omnia exaltandum.

Postquam ita de ascensione sua locutus est, quia hoc tamen incredibile videretur cum supplicio tradendus esset, propterea addit: (v. 14) *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ne crux ullo modo vos terreat, inquit, neque dubios vos reddat de iis quae sunt dicta; nam sicut a Moyse elevatus est serpens in deserto, qui natura quidem sua aeneus erat, virtus autem praecipientis salvabat intuentes in eum; ita et hic humanam quidem sortem gerit, atque crucis dolores patitur, at propter virtutem inhabitantem, credentes sibi dignos fecit vitae aeternae. Et quemadmodum tunc qui * vitam non possidebat, virtute alterius a morte liberabat qui morsibus serpentum peribant, dummodo in eum respicerent; similiter et hic quamvis mortalis appareat atque patiatur, per virtutem tamen in se habitantem, vitam parat credentibus sibi.

* p. 73.

v. 16) *Sic enim,* pergit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* « Est, inquit, et hoc signum dilectionis Dei, qui pro salute mundi Filium suum Unigenitum dedit. » Et ecce paulo supra exemplum serpentis recoluit indicans hominem assumptum, ut ostenderet, perinde ac serpentem, ita et illum credentibus sibi dare, quod quidem propria virtute non valet, sed per virtutem in ipso habitantem. Quomodo ergo dixit: *Filium suum Unigenitum dedit?* Quamvis sit evidens, divinitatem pati non posse; propter coniunctionem tamen unum sunt; quare etsi alius pateretur, attamen totum divinitati tribuitur.

Solet enim liber sacer, quotiescumque magnitudinem passionis describit, de divinitate mentionem facere in confirmationem sermonis. Et sicut beatus Paulus, magnitudinem passionis significare intendens, dicit: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent* [1], ut ipso hoc titulo indicet magnitudinem passionis; ita et Dominus noster, volens

[1] I *Cor.*, II, 8.

significare abundantiam dilectionis suae ex eo quod est passus, egregie dicit: *Unigenitum dedit.*

Et quia dixit elevandum esse Filium hominis atque propterea Deum dedisse suum Unigenitum (ut omnis qui credit, habeat vitam aeternam); quia vero futuri sunt increduli qui condemnabuntur, consequenter adiecit: (v. 17) *Non enim misit Deus Filium suum in mundum,* * *ut damnet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Iterum revertitur ad scopum eorum quae (in se) contingebant. « Non est hic a Deo intentus finis, inquit, ut aliquis damnetur, sed ut omnes salvi fiant. » Quid vero postea? (v. 18) *Omnis qui credit in eum,* inquit, *non damnatur; qui autem non credit iam condemnatus est: quia non credit in nomen Unigeniti Filii Dei.* Mens Dei haec est, inquit, ut omnes credant ac salventur, et propterea veni ego inter homines. Qui autem non credunt, ipsi sibimet causa sunt damnationis suae; dum credentes ius habent in salutem. Si quidam ergo non credunt, sibimetipsis auctores sunt punitionis; nam omnibus volentibus offertur gratia eius.

* p. 74.

v. 19) *Haec est autem condemnatio: quod lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* « Propterea, inquit, magis culpandi sunt, quod lux ad eos venit, ipsique potuerunt — si voluissent — felicitate perfrui; at oculos animae suae occluserunt et ad iniquitates deflexerunt. » Quaenam autem huius causa sit, declarat dicens: *erant enim opera eorum mala;* id est, virtutibus non studuerunt. Hinc etiam ostendit, mentem aegrotam nequidem velle in veritatis doctrinam respicere. Et ut hoc confirmet ait: (v. 20) *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius;* (v. 21) *qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Qui delectatur iniquitate, non intuetur, sed e contra odio habet bonum; quia scit illud * esse iniquitatis suae condemnationem. Qui autem veritatem facit, virtutes insectatur; scit enim illas perhibere laudem bonumque testimonium conscientiae suae.

* p. 75.

Scite autem: *omnis qui male agit* et *qui facit veritatem,* non vero « omnis qui egit » aut « qui fecit » dixit. Siquidem contingit, eum qui mala perpetravit, aliquando conversum declinare a malo ac tendere in bonum; rursum vero et illum, qui profite-

tur veritatem facere, aliquando vergere ad malum. Quocirca dixit: *omnis qui agit* et *qui facit;* fieri enim nequit, ut qui malitiae deditus sit, virtuti sit addictus; et quisquis veritatis amator est, virtutum quoque semper est cultor.

His ergo dictis evangelista addit: (v. 22) *Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam: et illic demorabatur cum eis et baptizabat.* Quae ideo supra narravit, tamquam Ierosolymis peracta retulit [1]; deinde adiecit ea (quae fecit Iesus), relicta civitate, ambulans per loca et regionem Iudaeaae docens ac baptizans.

Dixit igitur: (v. 23) *Erat autem et Iohannes hoc tempore baptizans in Aennon, iuxta Salim: quia aquae multae erant ibi.* Et adiungit: (v. 24) *Nondum missus fuerat Iohannes in carcerem,* ut notum esset haec omnia evenisse ante incarcerationem Baptistae; dum ceteri evangelistae, statim post Domini baptismum tentationesque diaboli [2], (referunt Iohannem in vincula fuisse coniectum). Matthaeus siquidem dixit: *Cum vidisset Iesus, quod Iohannes traditus esset, secessit a Iudaea in Galilaeam* [3]; Marcus vero: *Postquam traditus est Iohannes, venit Iesus in Galilaeam* [4]; et notum est Lucam eumdem ordinem esse secutum [5]. Unde manifestum est, * Iohannem haec accurate narrare utpote a ceteris omissa, qui non retulerunt gesta Domini nostri ante Iohannis (Baptistae) incarcerationem. Si vero haec narrando, recolit etiam quae in templo acciderunt, quando scilicet Dominus noster inde oves et boves expulit, — dum e contra ceteri evangelistae hoc ad finem referunt [6], expressius autem Matthaeus qui hoc conexuit ingressui Domini sedentis super asinum, — censemus hoc aut bis evenisse (quod etiam probabile est); aut si semel evenerit, studuit Iohannes hoc debito ordine referre; ceteri autem nudum factum narraverunt tantum, quod pluries videmus eosdem facere, quibus haud curae fuit de ordine eventuum, sed solliciti fuerunt ipsa facta tantum narrare.

* p. 76.

[1] Ioh., II, 23. — [2] Matth., IV, 12; Marc., I, 14; Luc., III, 20. — [3] Matth., IV, 12. In textu sacro non legitur *a Iudaea*, quod additum est ab Interprete. — [4] Mc., I, 14. — [5] Luc., III, 19-20. — [6] Matth., XXI, 12-13; Mc., XI, 15-17; Luc., XIX, 45-48.

v. 25) *Facta est autem quaestio uni ex discipulis*[1] *Iohannis cum Iudaeo quodam de purificatione* (v. 26) *Et venerunt ad Iohannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* De « quaestione » loquitur, non vero de « lite »; ac si quis diceret, inquisitionem factam esse circa purificationem, id est, circa baptismum. Neque enim, si inter se divisi disputassent, unanimi consensu ad Iohannem venissent. Evidens est autem, illos inter se quaesiisse et examinasse differentiam baptismatum; hic scilicet (Iudaeus) purificationes Legis laudabat, ille autem magistri sui exaltabat baptismum; atque ex hac inquisitione devenerunt ad baptismum, quo baptizabat Dominus.

Quia vero hic baptismus ambobus pariter videbatur inutilis, ad Iohannem accesserunt aemulationem eius excitantes; nam ille qui eius baptismate * indiguerat, ab eoque publice manifestatus fuerat, nunc sibi magnum discipulorum numerum aggregabat. Ut ergo beatus Iohannes corrigeret eorum falsam opinionem, eisque ostenderet se non tantum haud invidere prosperam fortunam Domini, sed e contra gaudere de splendore gloriae eius ipsique esse decorosum factum allegatum, — nam revera magnus est et qua talis agnoscendus ab omnibus, — indcirco dixit eis: (v. 27) *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* « Ne ullus quidem hominum, inquit, possidere potest donum spirituale, nisi Deus dederit. » Haec enim verba: « non potest homo sumere quidquam sine Dei consensu », de spiritualibus donis intendit. Secus enim plures sumunt res terrenas multas haud volente Deo.

* p. 77.

Quare hoc ergo dixi? (v. 28) *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed: Missus sum ante illum.* Memini, inquit, verborum meorum, et vos testes estis. Interrogatus enim, prout scitis, respondi me non esse

[1] Graece legitur III, 25: ἐγένετο οὖν ζήτησις ἐκ τῶν μαθητῶν, orta est ergo quaestio in coetu discipulorum Iohannis, indeque inter illos et quemdam Iudaeum, μετὰ Ἰουδαίου. — Iamvero sicut *Pešitta* intellexit ἐκ τῶν μαθητῶν de *uno* ex discipulis Iohannis (ܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝ̈ܕܘܗܝ) ita etiam absque dubio interpretatus est Theodorus.

Christum, sed legatum missum ante eum. Propterea ego veni, ut ostenderem Messiam; ipse autem est Messias, quem ego indicavi. Ipsius ergo sunt omnia eique debentur. Non enim alio indiget a quo discat; sed ipse sibi sufficit in omnibus, quia magnitudo naturae in eo habitantis efficit ut aliis non indegeat. Ego vero, quia homo sum, nequeo a meipso accipere aliquid spirituale; nequidem (ius) haberem testimonium perhigendi aut baptismum conferendi, nisi a Deo datum mihi esset. Non enim ego Christus sum, * sed ille, qui a semetipso fruitur omnibus bonis.

* p. 78.

Atque insistendo clariusque idem explicando dicit: (v. 29) *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et eum, gaudio magno gaudet propter vocem sponsi?* Quamvis propter personarum distinctionem videantur homines inter se differre in hac vita, tamen unus homo sumus omnes affinitate naturae, prout apparet ex eo quod unum idemque est corpus omnium; membra vero totius sumus singuli nos. Hic homo igitur, mortalis et corruptibilis, sumus omnes nos, sub decreto mortis simul conclusi. At Dominus noster abundanti gratia sua voluit denuo creare eum atque adducere in meliorem statum, in vita scilicet futura ad quam omnes resurgemus post mortem nostram. Atque non tantum ut iterum simus et vivamus, accipiemus; sed insuper incorruptibiles permanebimus. Igitur simul adepta hac mutatione, in statu incorruptibili permanebit corpus nostrum.

Principium condicionis vitae praesentis fuit nobis Adam, vitae vera futurae erit Christus Dominus noster. Quemadmodum enim Adam primus hominum fuit mortalis, ac deinceps omnes propter eum; ita et Christus primus post mortem (surrexit); atque iis, qui post eum venturi sunt, dedit resurrectionis principium. Ad hanc ergo visibilem vitam per corporalem nativitatem venimus, quare et corruptibiles sumus omnes. Ad vitam autem futuram transformabimur per virtutem Spiritus, unde et incorruptibiles resurgemus. Quia ergo haec ita contingent tunc, voluit Christus Dominus noster iam typice nos ad illa transferri, largiendo nobis baptismum * novamque generationem in seipso. Et quia (spiritualis) nativitas praesens est typus resurrectionis aut regenerationis, tunc in

* p. 79.

nobis adimplendae, quando scilicet in illam vitam migrabimur, propterea et baptismum vocavit regenerationem.

Egregie igitur dixit Apostolus: *Omnes nos quotquot baptizati sumus in Iesum Christum, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti ergo sumus cum eo per baptismum in mortem eius: ut quomodo Iesus Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris sui, ita et nos in vita nova ambulemus. Si enim ei inserti coaluimus in similitudinem mortis eius, ita et in resurrectione eius vivemus vita eius* [1]. His clare ostendit, nativitatem per baptismum figuram esse resurrectionis post mortem. Nam et haec ita continget nobis per virtutem Spiritus, prout scriptum est: *Seminatur in corruptione, et surgit in incorruptione. Seminatur in infirmitate, et surgit in virtute. Seminatur in ignominia et surgit in gloria;* ac deinde addit: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale* [2], quo significatur: sicut heic corpus nostrum, praesente anima, fruitur vita visibili, ita et tunc percipiet vitam aeternam incorruptibilem per Spiritus virtutem.

Similiter et in nativitate, nobis hic per baptismum collata, quae est typus resurrectionis, per eumdem Spiritum recipimus gratiam, modicam tamen et arrhae instar; tunc autem recipiemus eam totam, quando revera surgemus atque de facto incorruptibilitas nobis communicabitur. Propterea et Apostolus, de natura vitae futurae disserens, ac volens verbis suis auditores confirmare, dixit: *Non solum autem illae (creaturae) sed et* * *nos ipsi, primitias Spiritus habentes, gemimus adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri* [3]; quoniam ceu primitias recipimus gratiam praesentem, idcirco et perfectionem exspectamus suscipiendam, quando deliciis resurrectionis donabimur.

* p. 80.

Eodem ergo modo et Christus-in-carne, qui in omnibus est principium nostrum, recepit resurrectionem. Neque enim, quoad gratiae collationem, inutilis ei fuit descensus Spiritus. Et propterea, quia sicut illae (creaturae) in eisdem speramus partem habere, dicebat Apostolus: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, habitat in vobis; ipse etiam*

[1] *Rom.*, VI, 3-5. — [2] I *Cor.*, XV, 42-44. — [3] *Rom.*, VIII, 23.

corpora vestra mortalia vivificabit, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis [1]; ut clare ostendat, — nondum totaliter revelata virtute Spiritus in (Christi) resurrectione, — necessario et nos, qui eumdem Spiritum recepimus, exspectare eamdem recipiendam resurrectionem. Similiter et cum deberet perfecte in se adimplere figuram resurrectionis, Spiritus descendit super eum. *Testimonium enim perhibuit Iohannes dicens: Vidi Spiritum qui descendit et mansit super eum* [2].

Adam creatus est primus omnium hominum, ac deinde tulit Deus partem ab eo, formavitque mulierem, quam etiam univit ei per coniugium, prout dictum est: *erunt ambo ipsi in carnem unam* [3]; indeque exordium sumpsit constitutio totius generis humani. — Simili modo et Christus-in-carne primus per nativitatem spiritualem natus est: sive in re, quia omnium primus surrexit; sive in figura, quia primus in baptismo accepit nativitatem per gratiam Spiritus, qui factum simul et figuram adimplebat. * Partem ergo ex hac gratia sumpsit Deus deditque eam ceteris, ut eiusdem participes forent; fecitque omnes participes Spiritus ut per eum spirituali modo nascerentur denuo. Et quia per similitudinem nativitatis affinitatem naturalem cum eo possidemus, ita per eum familiaritatem cum Deo Verbo recipimus; non quidem matrimonii unio, sed fides et perfecta charitas coniungit omnes fideles Christo Domino nostro. Propterea etiam sponsae instar assumpta est Ecclesia a Domino nostro, aut quia parte exigua recepit similitudinem affinitatis ad eum, aut quia ei coniuncta est amore quem fide ei pandit. Unde et Apostolus adhortans viros ut erga uxores suas servent dilectionem, exemplo Christi usus est erga eos in admonitione; atque, postquam dixit eos esse duos in carnem unam, adiecit: *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico de Christo eiusque Ecclesia* [4], ut significet praecedentia [5] corporaliter evenisse.

* p. 81.

Quia Ecclesia fidelis per regenerationem Christo-in-carne consors effecta est, atque per eum familiaritatem cum Deo

[1] *Rom.*, VIII, 11. — [2] IOH., I, 32. — [3] *Gen.*, II, 24. — [4] *Eph.*, V, 32. — [5] *Gen.*, II, 24.

Verbo accepit, idcirco etiam hoc loco dixit: *qui habet sponsam, sponsus est;* id est, non est meus hic gradus (sponsi), sed eius. Est enim in eo natura divina, in quam primo credimus, ac deinde per regenerationem, tamquam familiaritate naturali erga hominem assumptum recepta, hinc etiam unionem ineffabilem erga Deum Verbum recipimus.

Ego, inquit, amicus sponsi, nolo audacter sponsae amorem mihi captare, sed prae amicitia eius gaudeo de amore sponsae erga eum. *Hoc ergo gaudium meum impletum est.* * Hoc, inquit, gaudium meum est, quod videam incorruptibilem sponsam servare amorem erga eum. Ut enim omnes eum diligant omnesque in eum credant, est amor obligatus et debitum ei officium; hoc ei nempe debetur tamquam Domino. Si vero ad meipsum volo allicere sponsam, corruptionem spiritualem committo, quia fraudulenter utor unione in quam nullum ius habeo et perpetro adulterium. Aptissime autem Ecclesiam vocavit sponsam sponsumque Christum, ut ostendat omnino huic esse debitam dilectionem ac fidem Ecclesiae, et ab eo quoquam deflectere malum esse.

* p. 82.

v. 30) *Illum oportet crescere, me autem minui.* Itaque non ad breve tempus hoc continget, inquit; at necesse est ut quae eius sunt, crescant; quae autem mea, minuant. Quare? — (v. 31) *Qui enim desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur.* Quia ipse desursum venit, inquit, ideo super omnes est; ego autem quia de terra sum, omnino sum tamquam qui necessario de terra est. Deinde idem repertit: *Qui de caelo venit, super omnes est;* (v. 32) *et quod vidit et audivit, hoc testatur; et testimonium eius nemo accipit.* Haec « qui desursum » et « et qui de caelo » non de locis, sed de naturae eminentia dicuntur. « Hic ergo, inquit, ceteris praeminet, neque loquitur secundum traditam institutionem, sed docet ea quorum accuratam scientiam possidet; attamen ne sic quidem vultis credere. Eodem modo locutus est Dominus noster ad Nicodemum: *quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*[1]; id est: haec doceo quorum certam habeo scientiam.

[1] Ioh., iii, 11.

v. 33) *Qui accipit eius testimonium, signavit quia Deus* * *verax est.* (v. 34) *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* * Qui ergo credit verbis dictis, inquit, manifesto confirmat et amplectitur veritatem Dei. Qui enim a Deo missus est, verba eius loquitur. Ergo qui credit eius verba tamquam vera, manifeste assentit ei; ipso facto testatur de Deo, vera esse quae ab eo dicuntur. At qui non credit, ceu falsa videtur illa contemnere; non enim recusaret ei credere, si vera illa existimaret.

* p. 83.

Et quia supra dictis, cum de natura divina locutus esset, mentem convertit ad humanam dicens: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur;* — hic vero naturaliter non possidebat hanc dignitatem, ideo addit dicens: *non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* (v. 35) *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius.* Neque enim, inquit, exiguam partem gratiae Spiritus largitus est ei (Deus), sicut ceteris hominibus, sed totam plenitudinem, quia diligebat eum; et idcirco etiam universalem dominationem commisit ei. Liquet enim naturae humanae haec congruere, quae unione sua cum Deo Verbo recepit dominationem super omnia. Ideo apte primo mentionem fecit de Spiritu, per quem scilicet recepit unionem, regenerationem et universalem dominationem; deinde vero dixit: *omnia dedit in manu eius;* quia censuit non aliter videri verum de humana natura Domini nostri, scilicet eum recepisse dominationem universalem, nisi ex Spiritus virtute absque possibili dubio confirmaret fidem huius verbi.

* His omnibus dictis ad probandam potestatem Christi Domini nostri, apte concludendo addit dicens: (v. 36) *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Cum haec igitur ita sint, inquit, qui credit in eum, consors erit vitae aeternae; qui autem non crediderit, damnationem incurret aeternam. Propterea etiam eo magis oportet studeant omnes, ut per fidem in eum digni sint promissae futurae beatitudinis, atque fugiant a minis iudicii. Haec sunt verba Iohannis (Baptistae).

* p. 84.

Postquam inseruit evangelista hanc historiam, relatis quae dixit Iohannis dicipulus ad Iudaeum quando hi venerunt ad

Iohannem, et quae respondit ipse clare docens magnitudinem Christi, iterum reversus est ad historiae ordinem dicens:

[Cap. IV, v. 1]. — *Ut ergo cognovit Iesus quia audierunt Pharisaei quod Iesus plures discipulos fecit, et baptizat plus quam Iohannes,* — (v. 2) *quamvis Iesus non baptizaret, sed discipuli eius* —, (v. 3) *reliquit Iudaeam et abiit iterum in Galilaeam.* Hoc revera scribendum erat cum dixisset: *post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam et illic demorabatur cum eis et baptizabat,* quae supra[1] leguntur. Iuxta factorum seriem enim sequebatur quod nunc dicitur, scilicet: « Ut cognovit Iesus Pharisaeos illud audiisse atque iratos esse, reliquit Iudaeam ac reversus est in Galilaeam. » Sed primo recoluit (evangelista), Iohannem illo tempore baptizasse, retulitque eius responsum ad illos qui interrogaverunt eum circa Messiam; * haec enim dicta et gesta sunt dum ambulabat Dominus noster in Iudaea baptismum conferendo; deinde adiecit causam, cur reliquit Iudaeam ac cessavit baptizare. Propterea illis primo narratis et nunc ad historiae ordinem reversus, quod in praecedentibus omissum fuerat, heic corrigit dicens: *Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius.* Quod antea omiserat, censuit hic esse dicendum, ut ostenderet non Iesum ipsum contulisse baptismum, sed eius discipulos. Manifestum est autem baptizatos etiam ad fidem esse adductos. Deinde cum dixisset eum reliquisse Iudaeam ut iret in Galilaeam, quia vero in itinere factum cum Samaritana contigit, omissum ab aliis Evangelistis, opportune et hoc recoluit tum ut traderet quod illi omiserant, tum ut sermonum ordinem historicum servaret.

* p. 85.

Dicit ergo: (v. 4) *Oportebat eum transire per Samariam.* Hanc necessitatem transeundi (per Samariam) assumpsit tamquam occasionem et exordium narrationis suae. Hoc autem non in vanum recoluit. Non enim quomodo in Iudaeam ibat, aut a Iudaea in Galilaeam a Iudaeis revertebatur, ita etiam ad Samaritanos accedebat, — propter eorum nempe separationem a Iudaeis vitabat ansas dare iustae illorum querelae;

[1] III, 22.

sed tamquam per transennam egit quae ibi facta sunt, ne qui inter eos digni erant, privarentur eius beneficio. Hoc autem modo erga eos egit, ut censeretur fortuito ibi egisse quod fecit; ita etiam manifestata bona voluntate Samaritanorum, quibus satis fuit merus transitus (Domini) * ad veritatis agnitionem, quod Iudaeis ne diuturnae quidem eius morae inter eos valuerunt.

Postquam ergo exinde exordium carpsit ad narranda ea quae erga Samaritanam aut erga Samaritanos gesta sunt, dicit: (v. 5) *Venit in civitatem Samariae, quae dicitur Sychar, iuxta praedium* vocatum Sichem. Hoc est nomen praedii *quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* (v. 6) *Fons ibi erat qui dicebatur Iacob*, quia ipse foderat hunc puteum. Fontis vero nomine heic designat puteum propter eius aquam scaturientem; atque hoc apparet ex eo quod dicebat ei Samaritana: *Situlam non habes et puteus altus est.*

Iesus autem, itineris labore confectus, sedebat supra fontem. Erat hora tertia. (v. 7) *Mulier ergo Samaritana venit de civitate ad hauriendam aquam.* Quamvis Dominus noster sciret eam esse idoneam recipiendae doctrinae verae, attamen non illico de doctrina coepit cum ea loqui. Videbatur enim sibi haud convenire inter extraneos talibus verbis exordiri, sed decebat communibus potius conversationem inchoare desumptis ex ordine rerum visibilium. Dicit ergo ad eam: *Da mihi aquam bibere.* Quod dicit vir itinere et aestu diei confectus, cogit mulierem quae aquam haustura erat. Subiungit autem et discipulos ingressos esse civitatem ad emendum cibum, ita ostendens eum haud temere nec quomodolibet cum feminis extraneis loqui, sed cum debita sibi modestia, ut quotquot accedunt revereantur eum propter sermonem eius.

* Dicit ergo ei Samaritana: (v. 9) *Quomodo tu Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis.* Evidens est, beatum Iohannem per hanc historiam voluisse mulieris virtutem pandere; quippe quae non levius inducta sit ad dandum ei bibere, sed primo revocavit legis statuta. Itaque prae honestate magna neque hanc cum extraneis praecepti violationem tolerabat, quod facile tamen, immo quasi necessario accidebat.

Propterea, ne videretur mulier peregrinis adversari ac prae nequitia noluisse potum ei dare, addidit evangelista haec verba: *Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*, ut sciamus quomodo non tamquam extraneo religioni suae, propter inimicitiam illi (aquam) dare recusaverit, sed quod monere eum vellet ne prae sitis vehementia transgrederetur legis statutum.

Hoc ergo mulieris responsum assumpsit Dominus noster tamquam occasionem doctrinae suae. Nam quia ipsa in mentem ei revocavit legis praeceptum, perinde acsi vellet in hoc incedere, apte exinde sumpsit exordium institutionis suae revelando quis esset. — (v. 10) *Si scires*, inquit, *donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu peteres ab eo et daret tibi aquam vivam.* Approbo te volentem mihi legis praecepta recolere; videris autem ignorare dignitatem eius qui loquitur tecum. Non enim talis sum, qui institutione tua indigeam * ad virtutem; e contra petentibus largiri possum virtutes naturam humanam superantes. * p. 88.

Attamen, cum nondum intellegeret mulier verba ista, neque sciret quid esset aqua viva, dicit ei: (v. 11) *Domine, neque situlam habes, et puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?* Mutavit tonum conversationis suae. Supra enim audacter dixit: *Quomodo tu Iudaeus cum sis;* nunc convenienter verbis suis praemittit appellationem: *Domine.* Ibi ita loquebatur ei, suspicans eum prae sitis vehementia transgredi legem; heic vero, cum intellexerit ex eius responso ac serenis verbis, eum haud petiisse bibere quia siti erat oppressus, debitum honorem tribuit verbis eius. « Undenam, inquit, das mihi hanc aquam vivam? Nequidem situlam habes et puteus altus est. »

Sed quia adhuc alia desiderabat cognoscere, dicebat ei: (v. 12) *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum hunc, et ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius?* Numquid tu possideres virtutem maiorem quam ille qui hunc puteum fodit? Ipse cum filiis suis utilitate eius fruitus est, atque reliquit nobis ut deinceps et nos fructu laboris eius frueremur. Propterea exspectemus oportet aliquid novi a te fieri, quippe qui sine labore aut industria humana, neque situlam habens, aquam bibendam dare valeas.

Dominus noster vero, docens non de hac aqua sibi esse sermonem, ait: (v. 13) *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum;* (v. 14) *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Magna habetur differentia, inquit, inter illam aquam et hanc quam ego dare promitto. Illa enim, cum eam biberunt, ad breve tempus * sitim sedat; mox vero, secundum naturam suam consumpta, relinquit iterum sitientem qui paulo ante eam bibit. Aqua vero, quam ego do, talis est naturae ut non tantum non consumatur, neque illum, qui eam bibit, relinquat siti affectum, sed e contra in eo fiat tamquam fons scaturiens in perpetuum. Sicut enim aqua de fonte non deficit, aliunde adducenda atque in eum immittenda, sed continuo praebet volentibus perpetuam fruitionem; similiter et virtus huius aquae auxilium perpetuum suppeditat accipienti eam, semper eum custodiet neque sinet eum perire; itaque in mortem non deveniet qui hanc gratiam recepit. Hoc iure meritoque dixit, cum talis revera sit virtus Spiritus. Propterea et heic primitias Spiritus ab eo recipimus cum spe futurae resurrectionis; quatenus in figura adimpletur nunc hoc negotium, tunc vero gratiam perfectam speramus accipiendam, quandoquidem per eius participationem incorruptibiles permanebimus. * p. 89.

Mulier tamen, materialiter adhuc haec verba audiens, dicit ei: (v. 15) *Da mihi hanc aquam ne iterum sitiam, neque veniam huc haurire.* Quid ergo Dominus? Manifestans intimam naturam suam et confirmans suum promissum, explicans insuper quod hucusque ei erat absconditum, ab idoneo praetextu incepit his verbis dicens: (v. 16) *Vade, voca virum tuum.* Cum autem respondisset se virum non habere, dixit ei Iesus: (v. 17) *Bene dixisti te virum non habere.* (v. 18) *Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc bene dixisti.* Revelando * ergo quae latebant omnes, manifestavit accurate intimam naturam suam, probavit promissum suum haud esse fallax, atque ostendit se haud exigua polliceri. Ex his patet mulierem istam non ducere vitam castam; apparet enim habere virum quem modo irregulari nupserat, ac propterea respondit: *virum non habeo,* * p. 90.

sicut et Dominus noster ostendit illum non esse virum eius. Quinque enim, qui acceperant eam, non videntur successive ac publice duxisse eam. Hoc etiam apparet mulieris stupore; quod enim omnes eius concives latebat, ipse extraneus distincte et aperte revelavit. Dicebat ergo ei: (v. 19) *Domine, video te esse prophetam.* Solus enim propheta revelare potest, quae omnes homines latent. Quid ergo? Magna sane tamquam a propheta quaerenda mihi sunt. Accede igitur et solve mihi quaestionem hanc, qua anceps haereo, et quae adhuc maior facta est propter antiquitatem eorum, qui circa illam discutiunt quin umquam inter se convenire potuerint. Ecce enim patres nostri semper in monte hoc coluerunt Deum, tamquam crimen considerantes cultum alibi peractum. Vos autem ab antiquo contenditis montem Ierusalem esse Dei locum (v. 20). His auditis existimavit Dominus illam accurate esse instruendam, quoniam sibi tamquam prophetae posuit hanc quaestionem.

Quapropter dicebat ei: (v. 21) *Mulier, crede mihi,* — optime nunc dicit: *crede mihi,* postquam evidenter demonstravit verborum suorum veritatem, per ea scilicet quae supra illi locutus est; — *venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* « Circa hoc, inquit, vis edoceri. Scito ergo * [p. 91.] futurum esse, ut locus uterque finem accipiat. » Ne tamen videantur Iudaei ac Samaritani aequiparandi, quia praedixit utriusque sanctuarii finem, ait: (v. 22) *Vos adoratis quod nescitis,* id est, vos Samaritani; *nos autem adoramus quod scimus,* id est, nos Iudaei; deinde addit: *quia salus a Iudaeis est.* Non dixit « *in* Iudaeis », sed « *a* Iudaeis. » Nam non in eis fuit salus, sed ab eis; quia ab eis fuit Christus-in-carne. Ergo, inquit, veritas apud Iudaeos est; attamen utrumque (sanctuarium) evacuabitur.

Quomodo hoc futurum sit, declarat: (v. 23) *Sed,* inquit, *venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit qui adorent eum.* (v. 24) *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Tempus venturum est, immo iam exorsum est, quo adorabitur Deus prout debetur et congruit naturae eius. Naturae enim incorporeae est Deus,

neque circumscribitur locis, sed ubique est atque secundum talem notionem oportet adoretur. Hic est enim verus adorator, qui debita intentione exhibet ei honorem, et in conscientia pura credit se ubique cum Immenso posse loqui. Non est autem discutiendum ac si heic vel ibi tantum esset Deus, et propterea in uno tantum loco adorandus: quaestio talis Deo magis iniuriosa est quam honorifica, et contraria (recto) sensui adorantium.

Unde et mulier haec, intellegens doctrinam novam tradi consueta altiorem, congruentem quidem divinae naturae sed excedentem valde iudaicam infirmitatem, egregie dicit ei: (v. 25) *Scio* * [p. 92.] *quia Messias venit; cum ergo venerit, docebit nos omnia.* Messiam, inquit, exspectamus; cum autem nos docturus sit altissima, excedentia traditionalem doctrinam nostram, nonne tu es Messias? Ipse vero respondit ei: (v. 26) *Ego sum qui loquor tecum;* id est, ego sum quem exspectatis. Eo loquente venerunt discipuli eius atque mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen petiit de quo sermo esset; haec enim verba: (v. 27) *Quid quaeris?* significant: De quo fabularis? Manifestum est eos non propterea mirari quod cum muliere loqueretur, frequenter enim cum variis mulieribus colloquebatur; sed quod ipse personaliter non vitasset cum extranea fabulari. Idem etiam supra insinuat, dicens: *Discipuli abierant in civitatem;* quia cum extraneis, filiabus aliarum gentium, non familiariter nec quomodocumque loquebatur, sed cum magna gravitate, ut et confabulantes modestiam servarent. Cum iis vero, quae in dilectione et fide familiares erant, non tantum loquebatur, sed etiam magna fiducia utebatur. Hoc apparet ex diversis, praecipue autem ex illis quae in domo Marthae et Mariae contigerunt, quarum una sedebat ad pedes Domini nostri eam docentis, altera vero dicebat ut surgere faceret sororem suam, ne ipsa sola fatigaretur in servitio.

Mulier ergo, post verba ista, relicta hydria sua atque obliviscens propinquos suos et opus propter quod venerat, abiit in civitatem ut omnes vocaret ad videndum Messiam. At modo valde prudenti narravit prodigium dicendo: « Omnia * [p. 93.] quaecumque secreto feci, exacte narravit mihi. » Ipsum

* p. 96. rum eius, firmiter * propter ipsa facta crediderunt eum esse Messiam.

Postquam ergo transegit ibi duos dies, perrexit iter in Galilaeam, prout sibi proposuerat. Non tantum putabat hoc esse opportunum, sed etiam pluries dicebat prophetam in patria sua honorem non habere, patriam suam vocando Iudaeam, quam propterea reliquerat, quia scilicet Iudaei prae magna invidia variis modis volebant persequi eum. Omnia quae de Samaritanis dixit (evangelista), clare sunt inserta tramiti narrationis eius. De cetero, patria Messiae non erat Samaria; neque verba « honorem non habuit », de Samaritanis dici poterant, nam hi et crediderunt et magno cum honore receperunt eum. Attamen etiam Galilaei, dicit evangelista, honorifice exceperunt eum ,cum scirent ac vidissent quae ab ipso in Ierusalem facta sunt. Inde clarum est quod supra diximus, scilicet Dominum haud temere venisse et eiecisse vendentes in templo oves et boves, sed tantum postquam ibi miracula operatus erat atque variis signis virtutem suam revelaverat.

v. 46) *Cum ergo iterum venisset Iesus in Canam Galilaeae, ubi fecit aquam vinum, erat in Capharnaum minister regius, cuius filius infirmabatur.* (v. 47) *Hic cum audisset Iesum advenisse a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium suum: erat enim moribundus.* (v. 48) *Dixit ergo Dominus noster ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non credetis.* Hoc increpando dixit Iesus; designabat nempe regium qui rogabat eum ut descenderet ac sanaret filium suum, sed non fide perfecta venit ad eum. Itaque (v. 49) audito hoc verbo, rogabat eum ut festinans descenderet priusquam moriatur puer. At Dominus noster volens vituperare eum * quod absque fide perfecta ad se venerit, dixit ei: (v. 50) *Vade, filius tuus vivit;* id est, non est necesse ut descendam, sed sufficit mihi ut loquar tantum. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus et ivit.* Hic scribens « credidit », non intendit evangelista illum omnino perfecte credere; sed significat: accepit verbum absque haesitatione, sperans ab eo excellens aliquid. Huic simile est quod initio huius libri diximus ad verba haec: Multi crediderunt

* p. 97.

in eum [1]; ibi enim addit evangelista: Ipse autem Iesus non credidit semetipsum eis [2], quod si credidissent firmiter. nullatenus scripsisset.

Regium ministrum ergo cum imperfecta fide a Domino profectum esse, clare manifestant sequentia. Descendenti enim ei occurrerunt servi eius nuntiantes pueri sanationem. Ipse autem non est reversus, ut gratias ageret propter miraculum; sed interrogavit qua hora puer sanatus esset; quando demum compertum habuit eadem fuisse hora qua Dominus ei promiserat sanationem pueri, *tunc* (notante evangelista) *credidit ipse et domus eius tota.* Propterea etiam dicebat: (v. 53) *Cognovit pater eius illam fuisse horam, qua dixit ei Iesus: Filius tuus vivit. Et credidit ipse et domus eius tota.* Si autem tunc, post Iesu verba, perfecte credidisset, superflue nunc adderet: cognovit pater eius et credidit. Sed manifestum est supra « credidit » dictum esse pro « accepit »; hic vero pro « confirmatus est ipse et domus eius tota », quia probationem accepit ex ipso eventu. Atque Dominus noster inde a principio hoc considerans egregie dixerat: *Nisi signa et prodigia videritis, non credetes.*

Hoc dicto notat evangelista: (v. 54) *Hoc signum secundum fecit (Iesus) in Galilaea.* Primum enim est miraculum vini. Deinde transit ad aliud factum * narrandum, quod ab aliis non fuit memoratum, dicens: * p. 98.

[Cap. V, v. 1]. — *Erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus cum discipulis suis Ierosolymam.* Hinc apparet Iesum, utpote sollicitum auxilii praestandi omnibus hominibus, dies festos sibi elegisse. Sicut enim supra dictum est: *Cum esset Pascha, ascendit Iesus Ierosolymam* [3]; ita et hic, cum esset festum aliud. Tempus ergo, quo omnes conveniebant, elegebat ut omnibus auxilium praeberet. Idcirco et nunc ivit Ierosolymam. Haud necessarium existimavit circumcursare atque ire quocumque aegroti erant sanandi, ne videretur appetere gloriam; sed unum sanavit et per hunc revelavit se multis.

1 Cf. II, 23. — 2 Cf. II, 24. — 3 Cf. II, 14.

Propter hanc ergo causam venit ad piscinam, (v. 2) *quae vocabatur Beth-Hesda et habebat quinque porticus*; praeter quattuor enim circumdantes eam, unus erat in medio. Hic aegrorum multitudo magna, variis prostrata infirmitatibus, congregata erat sanationem sperans[1]; quasi aquae illae aliquid operari possent, quia in eis lavabantur viscera ovium, quae ceu victimae erant oblatae Deo. Hanc opinionem Deus etiam fovebat, faciens ut aquae illae aliquando moverentur; et quia credebant illas divina virtute moveri, postquam descenderant, gratiam sanationis obtinebant. Non plures tamen simul curabantur, sed qui primus descendebat ille auxilium obtinebat cum gratia (sanationis). (Hoc autem contingebat) ne facilitas sanationis minueret prodigii effectum; * sed ut magna cum vigilantia atque amore exspectantes aquae motum, postea etiam salute obtenta eo meliorem servarent memoriam sanationis suae. Quamvis ergo infirmi multi iacerent ibi, minime tamen omnes sanavit; sed ut ostenderet virtutem suam, unum elegit gravissima infirmitate laborantem et iamdiu de sanatione sua desperantem. Paralyticus enim quidam erat inter illos triginta et octo annos agens in hac infirmitate. Transiens (Dominus) iuxta eum, haud statim dixit: (v. 8) *Surge, sume grabatum tuum et ambula;* sed ordinatim incepit cum eo loqui, prout et cum Samaritana ostendimus eum egisse.

* p. 99.

Quare primo interrogavit eum dicens: (v. 6) *Visne sanus fieri?* Inutilis erat haec quaestio; manifestum est enim quemlibet aegrotum desiderare a morbo suo curari. Ille igitur multo iam tempore iacebat hoc loco, propter solum istud desiderium. Sed, prout supra diximus, ordinate accedit ad miraculum, primo interrogando eum; et post conveniens responsum, concedit ei sanationis beneficium. Paralyticus ergo haud intellegens quaestionis causam, atque suspicans eum propterea

[1] Theodorus cum plerisque antiquis testibus non videtur legisse v. 3ᵇ (*exspectantium...*) et 4 (... *det. infirmitate*). Quae vero postea in eius commentario occurrunt de *angelo* movente aquas ac de sanatione *primi* descendentis in eas, haec forte accepit Interpres tamquam versus 7 traditam explicationem.

sibi dixisse: *Visne sanus fieri?* acsi propter neglegentiam suam non recepisset sanitatis gratiam, tamdiu in infirmitate permanens, respondit ei: (v. 7) ***Domine, hominem non habeo ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit;*** id est, « volo quidem sanus fieri, neque enim propter neglegentiam meam tanto tempore in infirmitate iaceo, sed morbi gravitas continuo me privat gratia; nam alium praevenire nequeo, * cum validiores me semper praecedant. Socium autem non habeo, ut cum aquae motae fuerint, me in eas demittat. Haec est ratio quare hucusque non obtinui gratiam. »

* p. 100.

His dictis ordinate respondit etiam Dominus: (v. 8) *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.* Quia igitur hinc ne sperare quidem potes sanationem, alligavit enim te infirmitas et ne serpere te sinit, unde privaris beneficio salutis quae omnibus hic praesto est; ecce haec omnia a me tibi fiunt: liber es ab infirmitate tua atque perfectam salutem obtines; ideo: *Surge! tolle grabatum tuum et ambula.* Quo dicto statim successit miraculum verbo. Erat autem sabbatum quando haec evenerunt (v. 9). Iamvero iussit eum tollere grabatum suum et ambulare in sabbato et quidem in die festo, ut, dum propter hanc duplicem rationem secundum Moysis legem oporteret quiescere, omnibus murmurantibus et paralyticum ob haec facta tamquam legis transgressorem increpantibus, ipse se excusando cogeretur manifestare miraculum eiusque auctorem.

Omnes ergo Iudaei (pergit evangelista, increpabant illum, atque dicebant ut deponeret lectum suum. At ille sese defendendo respondebat: (v. 11) ***Qui me sanavit, praecepit mihi ut hoc faciam.*** Oportebat enim omnino ut, tanto beneficio donatus, oboediret praecipienti sibi. Interrogabant ergo eum: Quis est qui hoc tibi praecepit? Nesciebat autem qui sanatus erat, quis esset; quia Iesus, statim ac curaverat eum, sese abscondit. Quaerentis enim gloriam hoc fuisset, si adhaesisset ei quem curaverat; hocque talis foret qui vellet publice manifestare semetipsum, — quod Dominum nostrum videmus * ubique caute vitare. Nam etsi conveniret ei innotesci tamquam Deus; quia tamen homo videbatur atque multi talem

* p. 101.

de eo fovebant opinionem, consilio cavebat ab eorum opinione qui videbant eum.

Dominus noster igitur viso paralytico in templo, ratus eum non habere conscientiam dignam accepto beneficio, — quin contra vellet Iesum Iudaeis indicare, etsi ira flagrarent eique minati essent mortem, — dicit ei: (v. 14) *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat quam antea;* quasi implicite ei significaret non declinandum esse ad malum, sed oportere pro accepto beneficio saltem amorem reddere largitori. Quamvis enim deceret ut publice Dominus nosceretur esse causa prodigii, ipse tamen scrutatus illius voluntatem, apte alludebat ad eius (malam) intentionem. At nulla ex his verbis percepta utilitate abiit et omnibus patefecit quisnam sanaverit se.

Quidam propter haec verba voluerunt paralytico etiam laudem texere; et praeter alia quod abierit indicare Iudaeis quis se sanaverit, ceu laude dignum considerarunt. Indicabat enim adiutorem suum, aiunt, sibi congratulando atque desiderando coram omnibus eum manifestare. Hoc si sophista quidam scribere velit, plausum appetens auditorum nullaque cura habita veritatis, tali forsitan congrueret hoc dicere. Si quis autem veritatem amat et prosequitur eamque omni ex parte honorat, — quod librorum sacrorum interpretem facere decet, * ne scilicet ex seipso eruat expressionis sensum, sed ubique testimonia librorum (exponat); — quomodo ille non agnoscet talem interpretationem esse valde culpandam et ineptam? Quare enim paralyticus dignus foret laude revelando Dominum nostrum Iudaeis, cum manifeste contra ipsum et minas proferrent, eo quod sabbato portaret lectum suum ideoque tamquam legis transgressorem increparent eum?

* p. 102.

Postquam ergo ipse excusavit se dicendo alium hoc sibi praecepisse, iram suam converterunt (Iudaei) in illum qui ei hoc dixerat; propterea interrogabant eum: « Quis est ille qui tibi hoc praecepit? » ut ponerent eum sub iudicio atque inducerent contra eum vituperium violatae legis. Quod et fecerunt, quando compertum habuerunt illum revera tale dedisse praeceptum. Qui igitur tam iratis atque furentibus (Iesum) indicabat atque revelabat, non agebat ut amicus; sed e contra

ut Iudaeis morem gereret, tradebat adiutorem suum. Neque in necessitate constitutus erat, ita ut excusabilis foret, si interrogantium vi coactus hoc fecisset. Ecce enim et Dominus noster accedens ad eum in templo, talia verba locutus est quibus indicabat eius inclinationem ad peccatum. Ipse vero, nihil exinde proficiens, malam suam voluntatem exsecutus est; atque Iudaeis obtemperans minas proferentibus, sponte sua tradidit benefactorem suum eique paravit tribulationes multas. Statim enim ac Iudaei haec didicerunt, persequebantur Iesum tamquam impium, praecepti ruptorem atque destructorem antiquarum legum, quae sancitae a Deo per Moysen datae sunt et iamdudum inter eos stabilitae. * Dominus noster vero accusatus de violato sabbato, ab eorum vituperio sese expedivit, qualis ipse sit accurate manifestando. Minime autem alios recoluit qui in sabbato aliquid operantur, — quamvis multa dicere potuisset etiam circa naturas invisibiles die sabbato praeceptis divinis obtemperantes; atque insuper de illis quae in sabbato moventur a naturis invisibilibus istis secundum Dei ordinationem.

* p. 103.

Quid igitur dixit? (v. 17) *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Noluit illa recolere, quia unumquodque eorum secundum Dei praeceptum movetur. Patris vero meminit qui propria sua voluntate et potestate semper operatur, neque sabbato abstinet ab operibus quae usui nostro sunt, sciens quodvis tempus saluti nostrae propitium esse; (Patris, inquit, meminit) ut ostendat et penes se eamdem potestatem haberi. Iamvero sicut ille, quamvis aliis statuerit legem quietis sabbati, potestatem habet semper operandi haud subiectus legi: ita et ipse aequali potestate gaudet, neque praeceptum habetur aut lex impediens eum quominus operetur quodcumque velit.

Quando ergo contra discipulos obiciebant ei, quod sabbato vellebant spicas, manibus suis easdem fricantes atque edentes, exemplum Davidis et sacerdotum allegavit, insuper et verbum scriptum in lege [1], ut per haec ostenderet etiam illis tempore opportuno licuisse facere, quod tamen contra legem videbatur. Quando vero ipse ob propriam actionem accusabatur, non

[1] Cf. MATTH., XII, 1-8 et loc. par.

recoluit aliquem eorum qui sub lege erant, ad alium enim demum videbatur spectare causa actionis eorum; sed Patris operantis meminit dicens: * *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Numquam cessat Pater meus operari, neque ego. Et sicut eius opus est providentia eius erga homines, nulla autem habetur lex avertens eum ab isto nec ullum decretum prohibens eum idipsum facere; ita et ego quandocumque volo, operor, cum non habeatur tempus determinatum operibus meis pro salute hominum. Et sicut ille potestatem habet operandi (semper), ita et ego. Si ergo me reprehenditis quod sabbato operor, oportet et Patrem increpare quod operatur. Si vero nullus vituperat eum, quia eius dominatio illam potestatem confert ei; neque me quispiam vituperet, nam et ego eamdem potestatem habeo operandi quando volo.

* p. 104.

Tale autem responsum non potuerunt Iudaei tolerare, siquidem hoc considerarunt tamquam profanationem magnam, superantem priorem; praecipue illud verbum eius censuerunt iniquitatem esse maiorem ipsa violatione sabbati. Re quidem vera maxima foret talis verbi iniquitas, si humano modo res ista diiudicanda esset. Violatio enim sabbati trangressio erat praecepti; verbum autem illud aequalitatem cum ipso Deo implicabat; atque iniquitas maior hac nulla habetur, si tamquam de homine dicta, illa considerentur.

Quare et evangelista idonee adiunxit: (v. 18) *Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Apte vero dixit « propterea magis » et hoc « non solum »; ut ostendat vituperationem secundam adversus eum moveri ob eius sermonem, ipsis augentibus criminationem propter ea quae ab eo dicta sunt. Nam cum primo dixerit: * persequebantur eum quia violaverat sabbatum, deinde vero subiunxerit quid Dominus eis responderit accusatus de violato sabbato; ideo optime nunc addit: *Propterea magis quaerebant eum Iudaei interficere,* significando criminationem accepisse augmentum propter relata verba. — *Non propterea tantum,* ait. Pulchre vero dixit: *non tantum;* nam et propterea minabantur ei. Propter quamnam autem aliam causam praeter istam, dicit: *Sed et patrem suum dicebat*

* p. 105.

Deum, aequalem se faciens Deo. Non enim si simpliciter patrem suum vocasset Deum, murmurassent; sed quia ita vocavit eum patrem suum, quasi ipse procederet ab eo eique aequalis esset in virtute ac potestate. Hoc enim aperte declaravit, cum de violato sabbato accusatus responderet: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Attamen nonnulli, quibus facile est omnia detorquere, non attendentes ad totum contextum, dicunt non ipsum Iesum aequalem se fecisse Deo, sed Iudaeos hoc putasse.

Quapropter, aiunt, ipse Dominus volens e medio tollere hanc opinionem respondit eis: (v. 19) *Amen, amen dico vobis: non potest Filius a seipso facere quidquam.* Postea, adiuvante Deo, ostendemus quomodo hoc sit dictum. Nunc vero quaeramus undenam, si Dominus hoc verbis suis non docuerit, Iudaei moti fuissent ad talem opinionem. Mihi quacumque ex parte rem consideranti, videtur impossibile Iudaeos a semetipsis opinionem illam de Christo concepisse. Persequebantur enim eum, * referente evangelista, quia violabat sabbatum, nec idcirco vituperabant eum quod aequalem se faceret Deo; crimen violati sabbati obiciebant ei: Unde ne hoc quidem evangelista dixit, nisi cum ipse respondisset: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* tunc enim addidit: *Persequebantur eum non tantum propter illud* (i. e. violatum sabbatum), *sed etiam quia patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Huc ergo ratiocinio nostro devenimus; concludebant scilicet eum aequalem se facere Deo, quia Deum vocaverat patrem suum.

* p. 106.

Inepte vero quis putaret, hoc verbum potuisse audientibus Iudaeis suggerere divinae aequalitatis opinionem, quia ubique tunc filii Dei vocabantur homines, atque Deus pater hominum appellabatur; neque tantum plures collective, sed et quidam singulatim, prout dicit beatus David: *Ipse invocabit me, Pater meus es tu; et ego primogenitum faciam eum atque exaltabo eum super reges terrae* [1]. Hoc autem dicitur de quovis deinceps regnum habituro, cum quilibet eorum, custodiens legem Dei, iure hoc nomine vocaretur, ceu filius atque primo-

[1] *Ps.* (*Vulg.*) LXXXVIII, 27-28.

genitus habendus. At manifestum est ita consuevisse Iudaeos hoc nomen usurpare, quatenus secundum meram familiaritatem patrem suum vocabant Deum; unde et cum Christo loquentes, prout refert hic evangelista, non haesitarunt dicere ei: *Unum patrem habemus Deum*[1]. Nullatenus vero [* p. 107.] * existimantes se Deo aequales Deum vocaverunt patrem suum. Quomodo ergo fieri potuit, ut ex hoc modo loquendi cui assueti erant, et qui iam ab antiquo inter eos usui erat, suapte mente ac sponte concluserint illum Deo se aequalem dixisse?

Iterum igitur quaeramus quare hoc de eo suspicati sint Iudaei, cum talis modus loquendi communis fuerit, frequenter et a multis usurpatus. Evidenter ex eius verbis utrumque intellexerunt, quia in iisdem utrumque invenerunt, scilicet quod patrem suum vocaverit Deum, et quod Deo aequalem se fecerit. Nam quia obicientibus sibi violationem sabbati dicebat: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, ut probaret se eodem modo ac Patrem habere operandi potestatem, seseque sicut et Patrem ab omni prorsus lege ac statuto esse immunem, invenerunt in eius verbis utrumque. Se etiam patri aequalem esse his verbis affirmabat et demonstrabat: Deum nempe patrem suum dicendo non consueto modo, sed altiore et sublimi, quatenus ex eo natus eiusdem est naturae. Iure ac merito tamquam filius erga patrem, seorsum a quolibet, communicat in eius operibus et potestate, atque irreprehensibilis est in omnibus quae secundum voluntatem suam facit; dum vero homines in hoc communicare nequeunt, quia non secundum naturam est pater eorum sed secundum adoptionem.

Ergo quia in eius verbis invenerunt eum patrem suum vocare Deum, significando naturalem generationem, eumque aequalem se facere Deo, censebant se iure murmurare contra eum. Haud levi suspicione ita iudicabant, [* p. 108.] * sed ex ipsis eius verbis concludebant magna superbia eum esse taxandum. Duo enim tam Dominus quam illi dicebant: et primo quidem sabbatum ab ipso violari; secundo Deum ab eodem vocari patrem. Quorum prius non poterat opinionem aequalitatis suggerere Iudaeis, prout modo ostendimus; quia sabbati profanatio ceu

[1] Ioh., viii, 41.

iniquitas ac praecepti transgressio habebatur. Contra illos vero qui in tali materia rei erant, tamquam in praecepti transgressores sententiam ferebant, sicut contra illum qui in deserto collegebat ligna sabbato[1]; minime vero tamquam aequalitatem cum Deo rapientes, punitioni tradebantur. Similiter et hoc quod Deum vocabat patrem suum, cum hoc consuetum esset et frequentioris usus inter eos, nullo modo poterat eis suspicionem talem suggerere.

Ergo nil aliud nobis superest quam ut dicamus, illos ex ipsis eius verbis intellexisse Deum ab eo ita (stricto sensu) vocatum esse patrem, minime autem gratia (titulo adoptionis), sicut a ceteris hominibus vocatur pater; meritoque declarabat aequalem se Deo potestatem habere, utpote filius in omnibus patri coaequalis. Haec igitur iuxta contextum explicavimus, Deo adiuvante.

Mirum est etiam illud quod ab eis dicitur, scilicet, Dominum ad confutandam illam opinionem addidisse: (v. 19). *Non potest Filius a se facere quidquam;* cum et hoc magis illorum malam voluntatem redarguat. Ex verbis enim sequentibus apparet, non tantum Dominum non evincere illam opinionem, sed magis illam confirmare.

Quid enim dixit? (v. 19) *Non potest Filius a se facere quidquam.* * Numquid denegabunt ipsi etiam potestatem [* p. 109.] faciendi quod humana natura facere potest? Quaerimus ergo ab eis: Possuntne homines aliquid facere a semetipsis, necne? Si non possunt, ergo non sunt mali a semetipsis qui sunt mali; et idem dic de bonis. Neque Iudas a seipso (culpa sua) est proditor; idem dic de Petro. Si hoc vero ita sit, neque ille condemnandus est propter iniquitatem suam, neque hic est laudandus pro optima sua voluntate; nam neuter a seipso erat quod erat. Quod si hoc impium est, — Iudas enim merito punitur propter malam suam voluntatem, Petrus vero prae ceteris laudatur recipiens honorem parem excellenti suae intentioni; — quomodo dum homines sunt a semetipsis quod sunt, Dominus non potest a semetipso aliquid facere? Sed quisque illorum sponte sua quod vult operatur; Dominus noster autem

[1] *Num.*, xv, 32-36.

nullatenus sabbatum voluntarie solvebat. Contra talem enim incriminationem protulerat hoc responsum. Igitur et Satanas propria voluntate non est qualiter est. Ita neque Dominus noster a seipso possidebat voluntatem bonam erga Patrem suum, prout illi aiunt; sed praecepto coactus praestabat oboedientiam suam. — At haec impietate sunt plena.

Sensus ergo responsi (Christi) hic est.

Duobus modis consuevit dici « non potest », tam inter nos, quam in libris sacris. Cum enim dicitur: *Non potest sanguis taurorum aut hircorum auferre peccata* [1], manifesto significare vult hircorum sanguinem * esse impotentem ad dimittenda peccata. Quando autem dicitur: *Duae res immobiles, quibus non potest mentiri Deus* [2], nullatenus impotentia ponitur in Deo; sed (affirmatur) haud convenire aut fieri posse ut mentiatur. Atque hoc est magnum signum potentiae eius. Hoc enim: « impossibile est, aut fieri nequit ut mentiatur », dicitur de Deo propter magnam eius inclinationem in virtutem. Nam quia firmus est ac fidelis in veritate sua, numquam indulget mendacio propter infirmitatem.

* p. 110.

Verba: *non potest Filius a se facere quidquam* non esse sumenda sensu impotentiae, manifestum est ex dictis; cum et homines a seipsis multa operentur. Ergo ad alterum sensum oportet nos converti. Quare impossibile est ut Filius aliquid operetur a seipso? Propter eius cum Patre aequalitatem indivisam; quia haec naturalis unio efficit consensum magnum voluntatis, eo quod est impossibile ut velit Filius quod non vult Pater. Natura enim divina haud in tempore successive discit eventus; sed a principio, praescientia sua, cognoscit omnes futuros eventus, et quae propter illos fieri debent. Hanc autem scientiam et Filius aequaliter possidet. Omnia communia habet cum Patre, etiam voluntatem; unde neque intentionem neque cogitationem habet discrepantem a Patre, quia omnia pariter atque ille etiam ipse vult facere. Hoc ergo significat evangelista, id est Dominus verbis suis.

Postquam enim dixit: *Non potest Filius a se facere quidquam,* causam huius adiecit dicens: *nisi quod viderit*

[1] *Hebr.*, x, 4. — [2] *Hebr.*, vi, 18.

Patrem facientem. Ecce si virtutis aut potestatis deminutionem significare voluisset, * dicere debuisset: nisi quod iubet Pater, aut: quod ei dat virtutem faciendi. Nunc autem addidit: *nisi quod videt Patrem facientem,* quod similitudinem indicat. Si enim non facit nisi quod videt Patrem facientem, evidenter similitudinem perfectam in operatione sua possidet cum Patre. Hoc autem impossibile foret, nisi habeat eamdem potestatem atque ille. Quomodo enim posset ei assimilari, atque opera eadem facere, nisi virtutem aequalem possideret? Igitur nullo modo hoc differt ab eo quod dixit: (v. 17). *Pater meus usque modo operatur, et ego operor,* nisi quod supra clare est locutus, heic autem obscure propter audientium imbecillitatem expressionis vim restringendo.

Postquam ergo dixit: *nisi quod viderit Patrem facientem;* ut clare nos doceat identitatem operationis suae et Patris, neque credatur alia fieri a Patre, alia a Filio, similia tamen indeque oriatur distinctionis opinio quoad creaturas, quasi alia tribuenda forent Patri, alia Filio, idcirco addit dicens: *quaecumque enim Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Non dixit: « sicut ea quae Pater facit, similia et Filius facit »; non enim alia facit Pater, alia vero Filius secundum similitudinem eorum quae facta sunt a Patre. Sed dicit: *quaecumque facit Pater, haec et ego facio,* nam communis est operatio, me et illo eadem perficientibus. — Atque sermonem exaggerando non dixit simpliciter: « haec et Filius facit », ne credatur tamquam subditus agere; sed addidit « similiter », ut significet non tantum operationes esse * communes, sed etiam modum operandi; quia quaecumque fiunt, similiter ab eo et a Patre creantur, propter identitatem potentiae ac voluntatis. Merito ergo dixit: *non potest Filius a se facere quidquam.* Cum enim communia sint opera et una sit voluntas a qua procedunt, quomodo voluntas et consilium facti dividi possent? Haec ergo valide confirmant dictum istud: *Pater meus usque modo operatur et ego operor;* ostenduntque vituperationem contra Filium etiam Patrem includere; similiter clare docent aequalitatem eius cum Patre ac minime secernunt eum ab illo, prout dicunt isti.

* p. 111.
* p. 112.

At postquam haec dixit et clare ostendit se eadem facere ac Patrem, et quidem aequali modo se ea facere; e regione verbis praecedentibus, convertit sermonem ad humanam suam naturam dicens: (v. 20). *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit: et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Evidens est verbis praecedentibus haud convenire haec ad litteram sumpta, neque ad divinitatem eadem referri. Quaenam enim sunt quae visurus est Deus-Verbum, a Patre sibi ostensa, Ipse qui est Creator rerum visibilium et invisibilium, cuius natura omnibus est excelsior, qui quaecumque facit Pater et ipse similiter facit, prout supra dixit?

At cum Dominus noster et Salvator Iesus Christus Deus sit et homo, atque Deo quidem naturaliter omnia insint, homini vero omnia deinceps devenerint per unionem cum Deo Verbo; iure ac merito tamquam homo de violato sabbato accusatus, ex magnitudine Dei ostendit * se sabbatum non violasse, licere autem sibi omnia quaecumque velit facere. Igitur de huius naturae magnitudine loquitur; quia ex vituperatione Iudaeorum occasionem cepit, ut circa eam, quantum poterat fieri, ostenderet qualis esset. Propterea ordinate hinc ad humanitatem suam sermonem convertit, quia verba illa valde incongrua credebantur huic qui videbatur; idcirco dicit: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit.* Et ecce superfluum foret prae amicitia aliquid ostendere ei, qui naturaliter omnia facere potest sicut ille. Sed ad hoc subiectum transivit, prout diximus, narratonis tramite coactus. Nam cum tamquam homo increpatus esset ab eis; neque posset, ut merus homo reputatus, tamquam immeritam accipere obiectam criminationem, idcirco transeundo ad divinitatem duo effecit: seipsum nempe manifestavit, quantum erat possibile; atque vituperationem sibi adhaerentem vehementer repulit. Quia haec autem non conveniebant ei qua visibili, ordinate adiunxit dicens: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit.* Significare vult, se etiam tamquam visibilem exinde possidere dominationem. Magna enim et naturam superantia possidet et ipse propter suam unionem cum Deo; unde verbum « demonstrat » figurate usurpavit pro « dedit ». Quia his omnibus ita loquebatur

* p. 113.

cum Iudaeis, eorum imbecillitati accommodando sermonem suum, distinctis verbis indicabat distinctas naturas. Cum autem tamquam de uno diceret duo illa, unitatem personae significabat. Et quamvis Iudaei hoc tempore illa non possent intellegere, * nihilominus talia loquebatur, quia postea inciderent in librum. Nam et discipuli multa effata tunc non capiebant; postea vero dicta recolentes, sensum eorum perceperunt, prout observat evangelista, quando dicit Dominus noster: *Solvite templum hoc, et intra triduum erigam illud:* addit enim: *Postquam resurrexit a mortuis, recordati sunt discipuli verbi eius et crediderunt* [1]. Hoc autem et alias ostendit verbis sequentibus.

* p. 114.

Opera vero *maiora istis,* — evidenter maiora sanatione paralytici, — dixit sibi esse monstranda, ita ut ipsi mirentur: quo alludit ad generalem resurrectionem et ad ea quae tunc videbuntur ab eo fieri, quando stans iudicabit universum, et ipsi in hoc negotio videbunt eius dignitatem. Tunc iure mirabuntur, comperientes quis esset et qualis factus sit: atque sine dubio, his visis, consentient credere in naturam eum inhabitantem. Haec fuse narrat in sequentibus.

Sciens autem talia verba excedere naturam visibilem, priusquam ea dicat, iterum confirmat sermonem suum allusione ad excellentiam naturae divinae, dicens: (v. 21) *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.* Hoc etiam perfecte quadrat cum iis quae supra dixit. Inter illud enim: *Quod videt Patrem facientem, haec et Filius similiter facit,* et hoc: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat,* nulla est differentia praeter hanc. Dum supra ad omnia sermonem extendit, heic e contra de determinata parte loquitur, * prout orationis series exigebat.

* p. 115.

Postquam ergo ita confirmavit verba sua ex magnitudine huius naturae, addit dicens: (v. 22) *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio.* Conectit autem resurrectionem cum iudicio, quia utrumque, simul eventurum, aeque demonstrabit Domini nostri dignitatem: quatenus

[1] Ioh., II, 19 et 22.

omnes per ipsum resurgent et ab eodem iudicabuntur. Solet liber (divinus) referens ea quae humanae naturae Domini contigerunt, si quid superat naturam de qua agitur, statim mentionem facere de magnitudine divinitatis, indeque auditoribus indubium facere sermonem. Ita verbi gratia apud beatum Paulum; cum enim dixit: *(Deus) locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum* [1], intendens hominem assumptum, et significans eum humano modo esse locutum, ipsumque, quamvis non esset rerum dominus, dominationem in eas recepisse per unionem suam cum Deo-Verbo, quia Verbum tamquam rerum auctor etiam dominatur illis; — at intellegens hoc dictum superare naturam eius de quo sermo erat, adiecit dicens: *per quem fecit et saecula,* ut ex attributo naturae divinae demonstret etiam huic visibili (Christo) competere posse dominationem universalem. Similiter et hic arguens ex eis quae sunt divinae naturae excusavit se a supra dicta accusatione; et eo consilio ad humanam naturam convertit sermonem, ut doceat a divina eam recepisse supernaturales dotes.

Volens igitur exinde narrare quaenam receperit, cum haec naturam suam excedant, primo confirmavit sermonem suum ex magnitudine divinitatis, postea autem in extenso addit et narrat quae data sunt sibi, dicens: * *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Evidens est hoc non convenire divinae naturae; quia Deus-Verbum, prout ipse dixit, omnia sicut Pater operatur. Non est autem possibile ut ille, qui omnia sicut Pater operatur, alias iudicet quam Pater; ac propterea dicatur ille accepisse iudicium, hic autem dedisse. Humanae vero naturae perfecte quadrat hoc dictum. Nam quia natura divina invisibilis est omnibus creaturis, iudex vero videatur oportet propter iudicandos, idcirco convenienter assumpsit Deus-Verbum hominem, in eo totam dispensationem complens pro salute nostra, deditque ei iudicare, faciens per ipsum iudicium, ut visibilis sit qui iudicat et praecipit. Evidens autem est eum haud naturaliter habere hunc honorem atque potestatem, sed a gloriosa natura eum inhabi-

* p. 116.

[1] *Hebr.*, I, 2.

tante, quae propter suam unionem cum eo eidem largitur quae sibi propria sunt.

Hoc igitur: *Pater non iudicat quemquam,* de potestate aut virtute nequit esse dictum; nam a potestate iudicandi numquam decidit Pater. Cum sit creator et dominus omnium, iure proprio etiam iudicat omnes. Quoad visum autem, seu inquantum revera apparet iudicandis, ita neque Filius iudicat quemquam, quia neque ipse videri potest. At homo, qui assumptus est, ipse venturus est de caelo, prout dicitur: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum* [1], atque iudicabit omnes, omnibus iuxta meritum retribuens, de omnibus ferens sententiam, prout vult. Et quia nequit naturaliter hoc facere, recte dixit: *Dedit ei* * *iudicium.* Quod enim non habebat, recepit per unionem suam cum Deo Verbo, qui cum sit suapte natura omnium iudex, iure proprio servos suos iudicat: et quemadmodum operatur omnia sicut Pater, ita omnes similiter iudicat. Insanum est ergo quod dicunt, scilicet Deo Verbo datum fuisse iudicium. Quomodo enim fieri potest ut ea, quae erant aequaliter tam Patris quam Filii, aliena sint ab eius auctoritate iudiciaria? — si quidem verum est quod dixit, omnia nempe se facere sicut Patrem.

Manifestat autem quid consequatur hoc iudicium dicens: (v. 23) *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* At Deo Verbo, non propterea quod iudicat, debetur omnium honor; sed ex eo quod est principium eorum quae per ipsum facta sunt, ideo debetur ei necessario omnium honor; cum ipso iudicio multo maior sit creatio eorum quae non erant. Consequenter igitur et apte hoc etiam tribuitur homini; quatenus per ea quae accepit, consors factus est honoris cum Patre, ita ut non sit incongruum eum sicut Patrem honorari. Nam quia haud naturaliter accipit omnium honorem, sed consequenter utpote unitus in adoratione Dei Verbi, necessario eodem honore honoratur, quo Pater una cum Deo Verbo honoratur. Propterea addit: *qui non honorificat Filium, non hono-*

[1] *Act.*, I, 11.

rificat Patrem qui misit eum. Ideo, inquit, contumelia mihi inflicta, etiam in Patrem redundat.

Quaenam vero sit utilitas illis qui eum honorant vel in eum credunt, dicit: (v. 24) *Amen, amen dico vobis: qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* Qui oboedit, inquit, verbis meis et credit, particeps est vitae * aeternae, non tantum vitans iudicium, i. e. iudicii tribulationes; sed e contra in honore erit, et quidem ab ipso iudice tribuetur honor ei. Hinc ergo fuse de honore humanae suae naturae loquitur, quia semel ad eam convertit narrationis obiectum. Quae enim de ea dicebantur, quanto maiora erant, tanto magis revelabant naturam quae in eo erat.

* p. 118.

Statimque confirmans verba sua, ait: (v. 25) *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.* Quia incredibile erat, defunctos transituros esse a morte in vitam, bene adiecit: « Ventura est haec hora, immo iamiam mortui multi audiunt vocem meam ac resurgunt », ut videntes factum praesens de eius verbo non dubitent. Hoc autem contigit in filio viduae [1]; contigit etiam in filia principis synagogae [2]; praeclare gestum est in Lazaro [3]; similiter et in aliis multis, nam non omnia facta scripta sunt.

Undenam habeat potestatem talia operandi ait: (v. 26) *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso;* (v. 27) *et potestatem dedit ei iudicium facere.* « Eamdam ac suam, inquit, dedit ei Pater virtutem ad suscitandum, eamdemque potestatem contulit ei ad iudicandum. » Bene autem de homine haec etiam dixit, quia unione sua cum Deo Verbo accepit omnipotentiam sicut Pater, nam Deus Verbum, qui in eo erat, omnia potest perinde ac Pater. Evidens est * ergo haec omnia de homine assumpto dici: quia ex eo quod *non enim Pater iudicat quemquam,* ad hunc (hominem assumptum) orationem transtulit totam, scilicet inde a: *Pater diligit Filium* [4]. Nam illud: *Sicut Pater suscitat*

* p. 119.

[1] Luc., VII, 11-17. — [2] Matth., IX, 18-26 et *l. par.* — [3] Ioh., XI. — [4] Cf. supra, p. 80, ad v. 20.

mortuos et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat; in narratione introducitur in confirmationem eorum quae dicta sunt.

At cum intellegeret talem sermonem multum excedere altitudine sua naturam visibilem, addidit dicens: *Quia filius hominis est,* (v. 28) *nolite mirari hoc. Quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius,* (v. 29) *et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* « Considerantes hanc naturam (meam) visibilem, inquit, nolite dubitare de eo quod dixi, nempe horam venire qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius et egredientur, fietque divisio inter eos, unoquoque recipiente mercedem prout meretur. » Hoc enim « venit hora » consequitur huic « nolite mirari »; minime autem tamquam ratio huius « nolite mirari » dicitur « venit hora. » Sed quia supra dixerat: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent;* atque iterum: *potestatem dedit ei iudicium facere;* — quia haec vero, relata ad naturam visibilem, haud credibilia erant, ideo congruenter addidit hoc repetendo: « Hanc naturam considerantes, nolite mirari de iis quae auditis, neque putetis ea fidem excedere. » Quaenam vero sit ratio quare non debeant mirari, dicit: (v. 30) *Non possum ego a meipso facere quidquam; sed sicut audio, * iudico;* quibus significat: « Ab alio habeo potestatem et virtutem iudicii. » Hoc enim meri hominis non est, ut possit omnia secundum iustitiam iudicare. Et quis est a quo accepit potestatem et virtutem iudicandi? Manifeste Deus Verbum, qui unione sua cum eo, largitus est ei virtutem et potestatem iudicandi, quod numquam suapte natura facere potuisset.

* p. 120.

Propterea dicit: *et iudicium meum iustum est, quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Propterea, inquit, iustam etiam sententiam contra incredulos profero, quia ego non loquor vobiscum quaerens vos arcere a religione et volens vos ad meipsum convertere; sed ad Deum vos adduco, eiusque cognitionem praedico vobis. Hoc autem nullum excusationis praetextum relinquit illis, qui recusant in me credere.

Verumtamen evidens est, eum non eodem sensu dicere hic: *Non possum ego a meipso facere quidquam,* atque supra: *Non potest Filius a seipso facere quidquam.* Hic enim loquens de resurrectione et iudicio, propterea quod superant haec verba naturam humanam visibilem, merito dixit: *Non possum ego a meipso facere quidquam,* ut ostendat se per unionem cum Deo Verbo consortem esse potestatis huius ac virtutis; idcirco addidit: *sicut audio, iudico,* significans « pro institutione mihi est excellentia Dei Verbi inhabitantis. » Supra vero, quia de violato sabbato vituperabatur, dicit: *Non potest Filius a seipso facere quidquam.* At cuilibet volenti possibile erat sabbatum solvere. * De potestate igitur heic non erat quaestio, sed de impossibilitate volendi aliquid contrarium voluntati Patris. Ideo supra adiunxit: *nisi quod viderit Patrem facientem;* hic vero: *sicut audio, iudico.* Hoc enim scientiam indicat, illud autem similitudinem. Totus contextus etiam utrobique differentiam eorum pandit. Nam supra, postquam dixit: *nisi quod viderit Patrem facientem,* immoratus est in similitudine et aequalitate adiungendo: *quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* — Hic autem post verba: *sicut audio, iudico* adiunxit: *iudicium meum iustum est,* quia non ad me volo vos convertere, sed conducere vos intendo ad naturam divinam. Ergo tum contextus ac ratio ob quam dicitur, ostendunt hoc ad naturam humanam referri; quia sola nihil potest, abstrahendo scilicet ab unione sua cum Deo Verbo. — Alterum vero illud significat: propter communicationem eius in natura et voluntate cum Patre, intellegere non possumus opera Dei Verbi adversari aut contraria esse voluntati Patris. Supra enim increpatus de violata lege, ratio sibi erat hoc declarandi. Heic vero (timens) ne haberetur tamquam superbus, et iure meritoque non crederetur, propter verba incredibilia quae dicebat: idcirco (arguens) ex parte Dei Verbi, credibilem reddit altitudinem sermonis sui.

* p. 121.

Pro accurata intellegentia dictorum, notemus etiam haec verba: *Non potest a seipso facere quidquam,* de divina natura *sumpta, minime convenire, quia infirmitatem implicant; quidquid vero divinitas operatur, nativa sua operatur virtute;

* p. 122.

— nisi aliquis haec intellegere velit hoc sensu, quod non potest (Deus Verbum) seorsim (a Deo Patre) operari, prout supra ostendimus. Si autem de humana natura sumuntur, optimum praebent sensum, quia omnia hanc naturam excedentia, — multa enim sunt, quorum nunc per unionem suam cum Deo Verbo particeps est, — non aliunde proveniunt, minime quidem ab illa natura, sed a natura divina quae ei est coniuncta.

v. 31) *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* (v. 32) *Alius est, qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Sed quomodo non falso diceret aliquis, non esse verum testimonium Domini nostri, quod perhibebat de seipso? Si hoc enim ita foret, merito non crederent Iudaei verbis eius. At evidenter accommodate ad opinionem illorum, qui cum eo loquebantur, plura dicebat. Igitur quia contra verba a Domino nostro de seipso dicta, obiecturi erant: « Non sunt vera verba tua, neque digna sunt acceptu; quia tu de teipso perhibes testimonium »; — hanc obiectionem, inquam, quam discutientes contra eum producturi erant, praevenit Dominus dicens: « Attamen non sum tamquam verax admittendus; quia testimonium perhibeo de meipso; hoc enim absque dubio vultis dicere. Sed locus foret hoc dicendi, si ego solus de meipso testimonium proferrem; nunc vero alia similia verbis meis ab alio dicta sunt de me, fuitque in testimonium et quidem firmissimum. »

* Quis est ergo alius ille? (v. 33) *Vos,* inquit, *misistis ad Iohannem: et testimonium perhibuit veritati.* Praeter ea nempe, quae ego contra obiecta illa dico, etiam a Iohanne datum est vobis testimonium, quando ad eum (legatos) misistis. Deinde prudenti consilio, ne his dictis videatur destruere certitudinem suorum verborum, addit: (v. 34) *Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed haec dico vobis ut salvemini.* Haec dico, inquit, non quia testimonio illius indigeo; non enim talis naturae sunt mea, quae testimonio hominum augeantur; sed dignatus sum haec dicere propter vestram salutem, ideoque volui recolere verba Iohannis, ut forsitan convicti testimonio Iohannis, sine haesitatione annuatis credere verbis meis.

* p. 123.

Quare non indigeo testimonio illius? (v. 35) *Ille erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Ille siquidem lucernae vicem obibat, quae, absente sole, usui erat iis qui in tenebris erant. Orto autem sole, superflua erat, cum nihil prosit iis quos illuminat. Similiter et ille, priusquam venirem ego, utilis quidem erat ad institutionem vestram. Postquam autem veni ego, qui sum lux vera, ad quam oportet omnes se convertant et respiciant, cessare debet usus (lucernae) illius utpote caducae. Igitur tanta est differentia inter me et illum. Opportune tamen recolo eius testimonium, cum venerit ad vos ut salvemini. Quia etiam quando longe erat a vobis [1], videbamini oboedire ei, at non fuit vera oboedientia illa: ad breve enim tempus * gavisi estis in eo, et ad breve tempus visi estis credere in eum, ipsis operibus inoboedientiam prodentes, cum nolueritis tamquam verum accipere eius testimonium de me neque oboedire verbis meis.

Si ergo ad testimonium verax recurrere oportet, habeo contra renitentes testimonium altissimum. Propterea ait: (v. 36) *Ego autem habeo testimonium maius Iohanne.* Quodnam, declarat: *Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quod Pater miserit me.* Maximum est testimonium operum; testimonium orale enim aliquando potest fallere, operibus vero indubia inest veritas. Quae igitur a me fiunt, certo demonstrant unionem meam cum Deo; minime enim talia opera facere possem, si huius naturae expers forem. (v. 37) *Et qui misit me Pater,* pergit, *ipse testimonium perhibuit de me.* Praeter opera tamen, etiam voce recepi de meipso testimonium. Loquitur autem de voce, quae super eum in baptismo audita est et dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [2]; quae vox facta est super Christum-in-carne, ut docerentur Iudaei. Turbae enim multae stabant ibi, quae didicerunt quisnam esset propter quem haec vox facta est. At quia etiam inter eos ordinaria erat haec denominatio « filii »; v. gr.: *Filios genui et magnos eduxi* [3]; item: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi vos omnes* [4];

[1] Iohannes Baptista scilicet, ad quem *trans Iordanem* miserunt Iudaei ab Ierosolymis legatos... (I, 19-28). — [2] MATTH., III, 17. — [3] IS., I, 2. — [4] *Ps.* LXXXI, 6.

volens ostendere huius aliam esse dignitatem, dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non est illis similis, neque familiaritatem mere verbalem recepit, sed excelso amore dignus factus est, * siquidem unione sua cum vero Filio revera consors factus est in filiationis honore.

Atque iterum addit dicens: *Neque vocem eius umquam audistis, neque speciem eius vidistis;* (v. 38) *et verbum eius in vobis non manet: quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Iuste contra eos vituperium direxit. « Ecce, inquit, etsi numquam eum videritis aut loquentis eius verbum audieritis, digni estis habiti audire vocem eius de caelo venientem. Neque hoc pudore vos affecit, ita ut crederetis verbis eius; sed e contra verbum eius obliti estis, atque mihi non credidistis, qui ab eo missus sum et super quem testimonium factum est. »

Perinde vero acsi haec nondum sufficerent, Dominus noster etiam aliunde (veritatem) de seipso confirmat, ex iis nempe quae inter eos magni aestimabantur, dicens: (v. 39) *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me;* (v. 40) *sed non vultis venire ad me, ut vitam aeternam habeatis.* Si ergo operibus non vultis credere, inquit, libros saltem reveremini, erga quos profitemini fidem quosque accipitis tamquam idoneos vitam aeternam parare vobis, frequenter enim invenietis testimonium de me. Sed neque illis vultis oboedire, ita ut propter ea quae in eis scripta sunt crederetis verbis meis haberetisque vitam veram, quam per libros sanctos speratis habere.

Cum his omnibus reprehendisset eos quod nollent sibi credere, cumque variis (argumentis) confirmasset illa verba dicta de seipso, opportune repulit insanam conclusionem secuturam ex verbis suis dicens: (v. 41) *Gloriam ab hominibus non accipio.* * (v. 42) *Sed novi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* « His verbis usus sum, non quod a vobis appetam gloriam, aut quod exspectem fidem vestram mihi profuturam: sed ut vos redarguam quod charitatem Dei non habetis. Quinimmo, praetextu charitatis erga Deum, summo studio persequimini me, acsi vane, id est potius inique aequalitate cum eo gloriarer. (Sic vos redarguo), ut adhuc, ita increpati, possitis converti ad virtutem. » Bene autem dixit: οὐ λαμβάνω, id est,

non accipio gloriam mihi datam; non enim talis est natura mea, ut per gloriam hominum crescam in dignitate.

Valide igitur multis variisque argumentis confutatus est incredulitatem Iudaeorum, atque obiectum verborum suorum indubium confirmavit et stabilivit, in his omnibus utens ordine multo et methodo. Cum enim accusarent eum de violato sabbato, cumque viderentur iuste increpare eum, siquidem tamquam homo, sicut ceteri homines, subiectus legi, transgrediebatur praeceptum; ideo occasionem verborum suorum carpsit ex responso ad vituperationem eorum; atque ordinate verba faciens, statim recoluit quae sunt divinae naturae, ut hinc ostenderet se minime, sicut ceteros homines, subiectum esse legi, quia sibi inest ille qui, utpote aequalis Patri, plena potestate operari potest quod facit. *Pater meus,* inquit, *usque modo operatur, et ego operor;* et adhuc: *Quaecumque facit Pater, haec et Filius similiter facit.*

Postea transivit ad vices humanae naturae, ut ostendat se exinde habere potestatem et virtutem dicens: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit.* Cum autem vellet manifestare dignitatem eius qui assumptus est, * iterum verbis suis mentionem fecit de divinitate, ut confirmaret dicenda; et postquam ita amplificavit obiectum sermonis sui, ordinate sequentibus verbis introduxit quaestionem honoris sui.

* p. 127.

Duplicem enim finem sibi proposuit his verbis: unum nempe, ut responderet vituperationi sibi obiectae a Iudaeis de violato sabbato; alterum vero, ut doceret dignitatem suam excedere naturam visibilem, utrumque confirmando verbis de divina natura factis.

Ergo statim atque alludit ad hanc dignitatem, convertit se ad vices humanae naturae ut ostendat eidem exinde licere facere quaecumque velit. Et cum deberet etiam eodem ordine loqui de dignitate et honore (hominis) assumpti, iterum, confirmatis verbis suis mentione divinitatis, accessit ad narrationis suae ordinem, his omnibus edocens et dicens se hominibus universis esse resurrectionis principium, omniumque futurum iudicem.

Deinde accurate refellit opinionem putantium hoc esse incredibile, dicens: « Non oportet mirari, quod homo haec facere possit, quia non a semetipso, sed a natura alia potest haec facere. » Et ut undique concludat veritatem dictorum suorum, dicit etiam *nunc* talia se facere, quae abunde demonstrent futuram resurrectionem. Commemoravit autem Iohannem, qui de iisdem testimonium perhibuit; magisque adhuc extulit sermonem suum dicens, ab ipso Patre de illis factum esse testimonium, sicuti et miracula patrata satis testantur de verbis istis. Praeterea in Scripturis multae prophetiae de eo dictae sunt.

Cum ita per haec omnia ostendisset eos contentiosos esse, qui nec visis miraculis credunt, nec libris * prophetarum, neque prophetae qui ad eos venit, in quem tamen profitebantur fidem habere, insuper, quod ceteris maius est, neque voci ipsius Patris; quia contra haec omnia unum tantum possent habere responsum, — putabant siquidem se pro Patre dimicare, et religionis causa non credere verbis eius dicentis, eamdem se ac Patrem habere potestatem, et quaecumque facit Pater, posse et Filium similiter facere prout vult; idcirco postremo breviter contra hoc magna vi respondet dicens: (v. 43) *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo proprio, illum accipietis.* Quo alludit ad ea quae per Antichristum patranda sunt. « Tunc, inquit, redarguetur pertinacia vestra, quando ad illum confugietis illumque accipietis. Ego enim quod loquor atque operor, ad Patrem refero, quia gloria mea est gloria Patris mei; propterea ad Patrem vos adduco, iustumque praetextum incredulitati vestrae praebeo. Veniet autem ille, de Patre mentionem non faciet, sed omnia sua opera ad propriam suam gloriam faciet; de seipso dicet, se esse deum, in conspectu omnium sese exhibens tamquam magnum et mirandum[1]; atque tunc ad illum confugietis, non iam allegantes negotium Patris, neque praetextu invocato pietatis erga Deum, specie saltem sicut nunc, firmi eritis. Igitur ex iis quae facitis nunc

* p. 128.

[1] Confer II *Thess.*, II, 3-12.

atque facietis tunc, manifestum est vos agere ex propensione voluntatis vestrae in malum. »

Declarat autem quare credituri sint in illum: (v. 44) *Quomodo vos potestis credere,* * *qui gloriam hominis accipitis, et gloriam, quae a Deo est, non quaeritis?* « Ego quidem, inquit, cum vos ad Deum adducam, nihil in hac vita magnifici vobis pollicendo, fugitis a me propter verborum meorum difficultatem. Ille vero, cum omnem suam in praesenti vita gloriam ostentet, plurimam in se credentibus securitatem ac dignitatem hic promittendo, praesentis vitae cupiditate allecti ad ipsum confugietis. »

* p. 129.

Postquam his clare ostendit, illos non propter amorem erga Patrem persecutionem in se movere, probat etiam illos neque voluntatem Moysis facere qui fuit legis minister, — persequebantur enim eum tamquam utriusque vindices; ita ut noscantur neque legis datorem honorare neque eius ministrum diligere. Quapropter dicit: (v. 45) *Nolite putare me accusaturum vos esse coram Patre; est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis.* (v. 46) *Si enim crederetis Moysi, crederetis etiam mihi; Moyses enim de me scripsit.* (v. 47) *Si autem illius libris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Hoc etiam oportet scire, inquit; scilicet, me non indigere ut accusem vos coram Patre; in Scriptura enim habetur accusatio contra vos. Quia olim iam, ante plura saecula, scripsit vobis de exspectato adventu meo Moyses, quem nunc etiam perinde ac me inoboedientia vestra contemnitis. Ille ergo futurus est accusator vester severus atque iustus. Vos autem noluistis oboedire propheticis verbis eius. Si enim Moysi credidissetis, absque dubio et me credentes reciperetis. * Sed quia verbis eius auditum non praebuistis, non est mirum quod neque verbis meis credatis. — Explicit liber secundus.

* p. 130.

LIBER TERTIUS.

[Cap. VI]. — Hinc transit evangelista ad narrandum miraculum panis, quod et ceteri evangelistae narrarunt [1]. Hoc autem recoluit Iohannes, propter doctrinam ex miraculo a Domino nostro deductam, quae fuerat ab aliis praetermissa; censuit autem ipse illam omnino in narratione sua esse referendam.

[1] Matth., xiv, 13-21; Mc., vi, 31-44; Luc., ix, 10-17.

v. 1) *Post haec* dicta et facta, inquit, *abiit Iesus trans mare Tiberiadis;* (v. 2) *sequebantur vero eum turbae multae, quia videbant signa quae faciebat in infirmos.* (v. 3) *Subiit ergo Dominus noster in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Heic etiam servabat quod se decebat, ne crederetur semper post turbas cucurrisse, sed e contra ipsas diligenter eum secutas esse. Indicat autem evangelista et tempus, quo evenerunt illa, dicens: (v. 4) *Prope erat pascha,* ut ostendat paulo ante festum facta et dicta esse quae narraturus est.

v. 5) *Cum sublevasset,* inquit, *oculos Iesus, et vidisset turbas venientes ad se, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?* Petitione sua ad Philippum intendit discipulos dubio exponere, quo melius observent prodigium operandum. Quamvis enim uni tantum loqui videretur, sermo tamen respiciebat omnes propter commune beneficium. Interrogationis autem usum explicans, * subiungit evangelista: (v. 6) *Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Tentans eum,* dicit, significans: probatum reddens. Nam cum primum haesisset dubio et angustiis propter indigentiam, postea autem videret miraculum patratum, edoctus fuit exinde totum Deo semper committendum, nec umquam propter penuriam animo deficiendum esse.

* p. 131.

At Philippus modo humano quaestioni illi respondit dicens: (v. 7) *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Hoc est: ducentos denarios expendere non possumus, cum eos non habeamus; valde nempe superat possessionem nostram tanta pecuniae summa; atque etiam si eam haberemus, ne sufficiens quidem foret, ut paululum tantum unusquisque illorum recipiat. Hoc ergo significat: etiam si pro tanta pecuniae summa panem emeremus, vix sufficeret ut unusquisque eorum panem tantum gustet.

His dictis a Philippo, Andreas frater Simonis ait: (v. 9) *Est puer quidam hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos?* Haec autem dixit

Andreas, ne videretur in proprium usum celare quod habebatur; nam tantae multitudini quasi nihil esse hos quinque panes, et vere dixit nec aliter res se habebat.

Postquam igitur unus in anxietatem cecidit, alter vero inopiam confessus est, accinxit se Dominus ad operandum miraculum; et praecepit eis ut primo facerent discumbere turbas. Forte discipuli tunc, nescientes quid eventurum esset, cum timore magno dicebant turbis * ut sederent; timebant forte ne haberentur tamquam irrisores. (v. 10) *Et discubuerunt,* inquit. *Erat autem herba multa in hoc loco;* itaque et locus ubi sedebant illis amoenus erat, atque opportunum tempus. Nam Nisan erat, quando terra solet ornari germinantibus herbis, praecipue in regione prae aliis calidiore. Hoc enim significavit supra dicens: *Prope erat pascha.*

* p. 132.

v. 10) *Discubuerunt ergo viri quinque millia numero.* (v. 11) *Sumpsit ergo Dominus illos quinque panes; et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus; simili modo egit et cum piscibus.* Adiungit vero evangelista dicens: *manducaverunt quantum potuerunt;* ut ostendat, Iesum tantum panem piscesque multiplicasse, quantum voluerunt atque potuerunt manducare. Hoc est signum potestatis magnae, quod non tantum inopiam fame laborantium expleverit; sed etiam iuxta desiderium eorum tam abunde effuderit gratiam suam, ut exsaturatis omnibus adhuc invenerint quem secum portarent victum pro itinere aut offerrent in domum suam secundum consuetudinem hominum. Hoc enim significatur verbis: *quantum voluerunt.*

Dicit autem: *postquam gratias egit, distribuit panem.* Non absque consilio hoc fecit; cum enim communis opinio eum ceu hominem haberet, debebat humano modo a gratiarum actione incipere, ut videntes doceret cibum non esse sumendum nisi prius debitae gratiae ad eius largitorem ascenderint. Turbis ergo exsaturatis quantum voluerunt, iussit discipulos suos collegere reliquias. (v. 13) *Et collegerunt,* inquit, *et impleverunt duodecim cophinos.* Dominus noster iussit eos collegere reliquias, ut diutius permaneret sensus miraculi in memoria eorum, * prout et remanentibus fragmentis delectabantur. Cum autem iuberet hoc facere, addit: *ne aliquid pereat.*

* p. 133.

Non quidem de hoc sollicitus erat, ne revera aliquid periret; — quid enim mali inde sequeretur? — sed ita aptum praetextum apposuit verbo suo, quo eos iubebat collegere reliqua fragmenta. Providentia vero sua faciebat quod ex hoc eventu sequebatur; nempe ut diutius plures illo pane fruentes, eo magis patrati miraculi recordarentur; vel etiam ut apud alios divulgaretur eventus. Hi enim videntes omnia ista fragmenta apud discipulos, atque prae tam mirabili visu petentes undenam essent, et ipsi addiscerent patratum miraculum. Solet enim Dominus in his negotiis, quod alia agens, iuxta providentiam suam alia videatur dicere, ne contra eum oriretur suspicio superbiae, propter magnitudinem signorum quae faciebat. Ita verbi gratia erga haemorrhoissam egit; nam quando petebat: *Quis est, qui me tetigit?* [1] fecit ut mulier manifestaret miraculum. Similiter per illa (fragmenta) ostendit, se non, sicut prophetas, miracula iuxta necessitatem sumentium operari, sed secundum excellentiam potestatis suae. Quando enim Moyses dabat manna Israelitis in deserto, in singulos dies tantum dabat. Si vero magis aliqui acceperint, peribat utilitas cibi collecti. At cum instaret sabbatum, quia hac die debebant a labore abstinere, tunc tantum licebat eis duplum collegere. Quando autem pervenerunt in regionem, ubi nutriri poterant ex fructibus terrae, tunc suppressa est eis mannae largitio. * Idem invenimus contigisse apud Eliam. Quando enim viduae promisit fore, ut nec farina nec oleum ei deesset, terminum posuit prodigio: *usquedum,* inquit, *Dominus pluviam dederit super terram* [2]. Eliseus similiter mulieri debitrici oleum dedit, quamdiu habebat vasa implenda; cumque plena essent, stetit oleum [3].

* p. 134.

Dominus Noster vero non ita egit. Sed primo dedit eis quantum voluerunt. Deinde, exsaturatis illis propter quos contigit miraculum, fecit ut omnia ista fragmenta remanerent iis per quos miraculum factum est, siquidem duodecim cophinos plenos asportarunt. Atque ut ubique innotesceret fragmenta iuxta voluntatem eius superfuisse, ita rem disposuit, ut cophinorum numerus aequalis foret numero discipulorum. Hoc igitur miraculum manifestat abundantiam gratiae eius per

[1] Luc., VIII, 45. — [2] III *Reg.*, XVII, 14. — [3] IV *Reg.*,

abundantiam reliquiarum; atque ostendit eum omnia operari prout vult, cum ita temperaverit donum suum, ut numerus portantium sufficeret cophinis auferendis.

Facto hoc miraculo, dicebant turbae: (v. 14) *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* At Dominus noster, sciens illos, prae stupore huius miraculi, voluisse ipsum regem facere, fugit in montem solus. Haud frustra fecit hoc; sed ne crederetur electione hominum recepisse regni potestatem. Discipuli vero, ascendente Domino in montem, remanserunt ibi.

Ut autem sero factum est, ascenderunt navim et transierunt ad maris litus ubi erat Capharnaum; et tenebrae oppresserunt eos in medio mari. Dominus noster vero nondum venerat * ad eos; atque mare vehementer agitabatur flantibus ventis. Hoc autem Dominus faciebat ad magnam manifestationem miraculi. Cum ergo discipuli iam viginti quinque aut triginta stadia navigassent, apparuit eis Dominus incedens super aquas. Quando autem appropinquavit ad naviculam, timor magnus invasit eos videntes visionem magnam et miram, praecipue quia, mari elato, Dominus confidenter ambulabat super aquas, dum et sedere in navi res valde metuenda erat. At Dominus, ut sedaret timorem eorum, dixit: (v. 20) *Ego sum, nolite timere.* Haud immerito timebant, nam putabant se phantasma quoddam diaboli videre. Ut autem augeret miraculum coram oculis eorum, incedebat super aquas, neque ascendit in naviculam. Sed dixit evangelista: (v. 21) *Voluerunt assumere eum; et statim navis fuit ad terram, in quam ibant,* ut ostenderet illos non assumpsisse eum, at, cum tentarent eum accipere, mira celeritate navim fuisse ad terram et Dominum cum eis. Haud enim poterant non credere quod fecit Dominus, neque tamquam phantasma poterant eum habere, cum viderent naviculam tam velociter pervenisse ad terram in quam ibant, atque Dominum ipsum esse cum eis.

* p. 135.

v. 22) *Postera die, turba, quae stabat* ibi (*trans mare*), *vidit aliam naviculam ibi non esse praeter illam quam conscenderant discipuli;* sed insuper viderant Dominum nostrum cum discipulis non ascendisse, soli enim discipuli illam conscenderant. (v. 23) *Venerunt igitur naviculae aliae a Tiberiade*

iuxta locum ubi manducaverant panem benedicente Iesu; et cum vidissent nec Dominum nec discipulos eius adesse, ascenderunt * et ipsi (v. 24) *in naviculas atque venerunt Capharnaum,* quo sciebant ivisse discipulos, ut interrogarent eos circa Dominum. (v. 25) *Cum* autem *invenissent eum,* petierunt ab eo quando huc venisset. Quia non poterant intellegere, sicut discipuli, mirum modum eius adventus, consentanee mentibus humanis cogitarunt eum forsitan cum navicula venisse. Itaque circa tempus tantum interrogabant eum, mirantes quod tam cito huc venisset. Sciebant enim eum nullatenus cum discipulis conscendisse navim, et sequenti die eum non invenerunt secum; idcirco diligenter de tempore tantum inquirunt, quatenus humano modo cogitantibus haec erat ratio mirandi, — dum revera plus quam tempus, mirus erat modus eius adventus, qui adhuc mentes eorum latebat.

* p. 136.

Dominus noster non attendit ad petitionem eorum, neque ad modum quo eum quaerebant, qui videbatur quidem plenus amore; sed perspecta eorum intentione, quomodo scilicet et quare quaererent eum, dicit eis: (v. 26) *Amen, amen, dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis panem et saturati estis.* Scio, inquit, causam ob quam me quaeritis. Non enim virtutem meam admiramini patrato illo miraculo, neque congruenti intentione amorem erga me ostenditis; sed, voluptati et gulae dediti, post panis ubertatem curritis, quasi felicitas reputetur a vobis quod viventes otiosi abundanter pane nutriamini. * Propter eamdem rationem tentastis me facere regem, dummodo in me suscipiam curam sollicitudinis vestrae vi potestatis regiae, ita ut omnino forem coactus hoc modo semper providere vobis cibum.

* p. 137.

Cum obiecisset eis duo haec, gulam scilicet et otium, prosequitur dicens: (v. 27) *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* Ego, inquit, peto ne gaudeatis in otio, sed ut operari velitis atque faciatis opera bona et optima; non illa quidem quibus satiatur venter ad breve tempus ac mox iterum esurit, quia periit esca prius accepta; sed (operemini) illa quibus, semel enutriti et vitae aeternae participes, remanere possitis incorruptibiles, non iam indi-

gentes alio cibo. Hoc simile est verbo dicto ad Samaritanam. Nam et ibi dixit: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*[1]. Ostendit inanitatem aquae naturalis ex eo quod ad breve tempus sitim sedat; virtutem vero illius, quam dabit ipse, manifestat ex vita aeterna cuius consors fit quicumque recipit Spiritum Sanctum. Idem etiam hoc loco dixit: Hic est effectus cibi corporalis, explet nempe ad breve tempus famem nostram, ac mox relinquit nos esurientes; cibus autem, quem ego do, vitam confert aeternam. Cum sit finis adventus eius ut resurrectionem conferat omnibus hominibus, et post resurrectionem incorruptibilitatem: talem finem ubique videtur verbis suis explicare. * Heic autem fecit etiam aliquid simile huic quod in historia paralytici legitur. Quemadmodum enim supra[2] respondendo accusationi sibi a Iudaeis obiectae, manifestavit auditoribus dignitatem suam, et ideo de divinitate sola mentionem fecit, quippe quae recolenda erant in confirmationem eorum quae de humana sua natura dicebat, incredibilia censenda propter apparentem infirmitatem: ita et heic, petitione Iudaeorum usus est ut verbum faceret de seipso, atque ostenderet quaenam dare valeat et quae daturus sit credentibus sibi; similiter et hic allusione facta ad divinitatem, ut inde confirmaret quae dixit, scilicet per cibum hoc fieri posse, et postquam dixit verbum hoc magnum mirumque, scilicet (cibum illum) vitam dare aeternam, non quidem ad breve tempus corpus nutrientem, sed incorruptibile hoc facientem, tunc adiecit et dixit: *quem Filius hominis dabit vobis.* Hunc cibum, inquit, gustabitis meā operā; ego enim patiar pro vobis, et per passionem meam dimittam peccata vestra; typus autem meae mortis est cibus ille quo vesci debetis. Et ut magis adhuc confirmaret quod dixit, egregie subiunxit: *Hunc Pater signavit Deus;* id est, hunc revera fecit principium cibi istius spiritualis. Ipse sane qui, iuxta inscrutabile Dei consilium, post mortem resurgit, propter suam unionem cum Deo Verbo, illos, qui secundum eius mentem ad Sacramentum accedunt, iure ac merito ad vitam istam invitat.

* p. 138.

[1] Ioh., IV, 13-14. — [2] Cap. V.

Verbum *signavit* semper dixit pro « confirmavit »; minime autem, prout quidam censuerunt, de similitudine divinae eius generationis est dictum. Eodem modo * dixit etiam Iohannes[1]: *Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est:* id est, quantum potest confirmavit atque signavit Dei veritatem. Quemadmodum « benedictio » dicitur a nobis ad Deum et a Deo ad nos; a nobis quidem, prout dicitur: *Benedic anima mea Domino*[2]*;* a Deo vero ad nos, verbi gratia: *Benedicat tibi Dominus ex Sion*[3]; utriusque tamen non est eadem virtus, ex parte enim nostra fit quatenus sermone narramus Dei magnitudinem, ex pare Dei autem dum revera nobis auxilium largitur; ita etiam dicitur *signavit*, ex parte nostra quidem, quatenus circa Dei veritatem per fidem demonstramus, ut possumus, vera esse eius verba; ex parte Dei autem, cum opere vere efficit ut homo assumptus etiam aliis vitam largiatur aeternam.

* p. 139.

Iudaei ergo, aut non intellegentes vim dictorum aut desiderantes clarius ea audire, dicebant: (v. 28) *Quid faciemus ut operemur opus Dei?* Dominus noster respondit eis: (v. 29) *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Sciens verbum de mysterio (eucharistiae) excedere intellegentiam eorum, haud statim festinavit de hoc sermonem facere, sed usus est via huic verbo accommodata dicens: Hoc est opus Dei, ut in me credatis; haec enim vobis est via qua possitis in ceterorum doctrinam pervenire. Impossibile enim est dubitare de iis quae dicta sunt, si in me creditis; atque nonnisi credentes ea admittere potestis, quia multum excedunt et superant captum vestrum.

v. 30) *Dixerunt ergo ei: * Quod signum facis tu, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris?* Summa est audacia Iudaeorum! Quando maximum miraculum adhuc ipsis praesens erat, et quando inter dentes eorum adhuc haerebant reliquiae cibi quo delectati erant, signum ab eo in confirmationem potestatis eius requirebant. At forsitan intellegentes maximum esse miraculum patratum atque supervacaneum aliud requiri, voluerunt per comparationem cum alio minuere

* p. 140.

[1] III, 33. — [2] Ps. CII, 1, 2, etc. — [3] Ps. CXXVII, 5; CXXXIII, 4.

signum; idcirco ne videatur audacior eorum quaestio, sed credantur merito velle maius signum videre, dicunt: (v. 31) *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scrip- tum est: Panem de caelo dedit eis manducare.* Per compara- tionem cum manna intenderunt minuere donum panis, ut videantur merito considerare Moysen superiorem eo. Contra- rium tamen liquet ex iis quae scripta sunt. Nam quando dabatur eis manna in deserto, non cessarunt dicere de Deo: *Si percussit petram et fluxerunt aquae atque torrentes ex- undarunt; numquid et panem poterit nobis dare?* [1] Tunc quidem illi ceu rem meliorem petebant panem, Deum offen- dentes perinde ac si nequiret eum dare. Nunc vero hi, quando receperunt quod illis maius videbatur, donum manna pluris aestimabant. Oportebat ergo non contemnere opinionem illo- rum quos patres vocabant, quippe qui consideraverant panem ceu aliquid mirum; atque cum accepissent quod illis visum erat eximium, agnoscere debebant magnitudinem eius qui venit. Sed una eademque est ingratitudo horum et illorum, quate- nus ausi sunt despicere gratiam praesentem per comparatio- nem ad aliquid remotum.

* p. 141. v. 32) *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico * vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.* (v. 33) *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.* Quamvis autem Dominus ex verbis, ab eorum patribus prolatis in deserto, ostendere posset maius esse donum panis quam manna, ab hoc tamen abstinuit. Deo enim tribuebatur donum manna; murmuraverant tamen perinde ac si non potuisset panem dare eis. Convenienter qui- dem vitavit per comparationem probare hoc esse maius illo; quia non iam cum Moyse sed cum Deo Patre comparans seip- sum, censeretur intendere se esse maiorem Patre; quod iterum Iudaeis foret causa, cur merito increparent eum. Sed aenig- matice huic respondit, sensum completum tribuendo singulis quae dixit. Nam quia haud complete expressit verba illa, sed compressit ea in unum, doctrinam reddidit aenigmaticam. Haec enim: *Non Moyses dedit vobis...; sed Pater meus dat*

[1] *Ps.* LXXVII, 20.

vobis..., videntur unita quoad sensum, et una apparenter est eorum significatio. Valde tamen distant ab invicem, et unum- quodque eorum completum sensum possidet. Hoc nempe: *Non Moyses dedit vobis panem de caelo*, sensum completum habet per se; dicitur vero aenigmatice. Vult enim significare: « Si antiqua illa vobis videntur eximia, illa tamen non Moyses dedit vobis sed ego. » Hoc autem silentio innuit; quia audientibus difficile foret intellectu si diceret semetipsum dedisse panem in deserto, nam homo erat et talis videbatur. Quando enim alibi dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum* [1], * noluerunt audire, sed lapidarunt eum. Seipsum igitur dato- * p. 142. rem esse manna, merito aenigmatice silentio suo innuit. Huic autem coniunxit: *Sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum*, significans: « Etiam illum a me recepistis. Attamen si mihi vultis oboedire, donum panis et manna relinquite; utrum- que enim omnino vile ac debile est. Desiderate autem panem verum, quem Pater dat vobis desuper, qui descendit de caelo et toti mundo dat vitam aeternam. » De corpore suo heic mani- festo loquitur; hoc enim, quatenus figurate manducandum, ita appellat, quod futurum sit in institutione mysterii (eucha- ristiae). Panis enim, qui a Domino nostro datus est discipulis, figura est cibi corporis eius, quem usque in hunc diem super altare reponimus, et manibus nostris tamquam corpus Domini sumimus. Diserte hoc indicat sequentibus verbis dicens: *Et panis quem ego dabo, caro mea est* [2]. Si igitur de cor pore suo dicit: *quod descendit de caelo et dat vitam mundo*, ne miremur. De caelo enim est filius hominis qui assump- tus est in die ultimo propter omnium resurrectionem et vitam; prout dictum est ab Apostolo: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo Dominus de caelo* [3]. Non quidem sicut corpus Adami erat de terra, ita etiam Dominus noster de caelo descendit; prout manifestum est, nam in sinu Mariae fuit formatum. Sed (hoc scripsit Apostolus) intendens ad- ventum eius de caelo pro futura resurrectione generali. Si vero iterum nunc de corpore suo dicit idipsum descendisse * de caelo, hoc moris erat Domino, ut quae divinitatem suam * p. 143.

[1] IOH., VIII, 58. — [2] *Infra*, v. 51. — [3] I *Cor.*, XV, 47.

spectabant diceret etiam de humana sua natura, non quod suapte natura hoc possideat, secundum id quod supra ostendimus. Si igitur de futuro eius descensu hoc dicitur, quando vitam dabit mundo omnesque ubique homines suscitabit; et si de adventu eius praesenti propterea dicitur quod divinitas in eo exsistens, dum in caelo est, semper in eo erat atque nunc in eo est, haud sine ratione hoc dixit.

v. 34) *Dixerunt ei: Domine, semper da nobis panem hunc.* Quia hucusque gula tenebantur, audientes de pane vero, putabant Dominum promittere materialem cibum semper ipsis dandum; ideoque hunc panem petebant, sperantes fore ut absque labore deinceps alerentur, si talem panem sumerent. Quid ergo respondet eis Dominus? (v. 35) *Ego sum panis vitae. Omnis qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam.* Si vere desideratis talem sumere panem, inquit, ego sum hic panis: qui enim mihi oboedit et credit in me, bona talia recipiet quibus in posterum non iam fame vel siti passurus sit. Neque statim dixit: *qui manducat me,* sed: *qui venit ad me et credit in me,* in praesenti hoc vitans propter verbi duritiem idque reservans opportuno tempori. Praeterea cum his dictis non crederent, ut ostendat se haud ignarum incredulitatis eorum verba credenda eos docere, sed docendo rem sibi congruam facere, idcirco ait: (v. 36) *Sed dixi vobis: quia vidistis me et non creditis.* * Haec dico, inquit, certo sciens vos, etiam visis miraculis, remansuros esse in incredulitate vestra. Hoc utique sciebam atque praedixi vobis.

* p. 144.

Deinde volens eos edocere, sicut verbis praecedentibus[1], nequidem verum esse id quod putabant, scilicet se in Patrem credere atque propter eiusdem amorem incitari inimicitia adversus eum[2], dicit: (v. 37) *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum, qui venit ad me, non eiciam foras.* Attamen nolite putare vos in Patrem credere, si in me non creditis. Hoc enim tantum distat a vero, ut vero sit oppositum. Pater nempe eos qui in me credunt recipit; atque eos qui vere sunt sui adducit mihi. Qui enim facit voluntatem Patris de me non dubibat; neque eum qui huiusmodi est reicio ego. Quemadmodum enim qui proximi sunt Patris ad me veniunt, ita et ego tamquam proximos diligam quos dederit mihi. Et exaggerando verbum ait: (v. 38) *quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Quomodo ergo posset non facere et voluntatem suam? Si enim idem vult ac Pater, non eius tantum voluntatem faciebat, sed et suam. Sed dictum istud significat: Veni, non quidem ut mihi soli coetum constituam oppositum Patri, sed ut omnes per fidem in me adducam ei. Haud enim potest aliquis credere in me et extraneus esse Patri. Hoc autem dicebat ut redargueret Iudaeos, ostendendo nullam esse congruentem rationem cur non crederent.

[1] Cap. v, 19-47. — [2] Cap. v, 18.

v. 39) *Haec est autem voluntas Patris, qui misit me, ut nihil perdam ex eo omni quod dederit mihi, sed resuscitem illud * in novissimo die.* (v. 40) *Haec est enim voluntas Patris mei: ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Haec duo dixit, nimirum omnes in ipsum credere oportere, atque credentibus vitam aeternam esse tribuendam. Utrumque igitur egregie conexuit voluntati Patris dicens: « Haec est voluntas Patris, ut omnes credant in me », et « qui credunt in me, donum a me recipient », ita ut ex his duobus redarguantur tamquam ipsi voluntati Patris reluctantes. Si enim utrumque pariter vult Pater, qui prius non accipiebant et alteri non credebant, deprehendebantur in ambobus voluntati Patris obsistentes.

* p. 145.

v. 41) *Murmurabant ergo Iudaei de eo, quia dixerat: Ego sum panis qui de caelo descendi;* (v. 42) *et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?* Murmurabant autem non propter dicta, sed propter pervicaciam mentis suae. Duobus enim fit, ut dicta ab auditoribus non accipiantur: vel quia non convincunt, vel quia iniquitate sunt plena. Quoad utrumque autem Dominus noster caute egit; suspicionem nempe iniquitatis removit, quia omnes ad Patrem ducebat eiusque voluntati tribuebat quidquid contingebat. Reiecit suspicionem quasi verba sua fidem non mereantur, prius facto miraculo multiplicationis panum. Postea

locutus est eis de cibo spirituali, ut hoc quod habebatur ceu incredibile confirmaret per patratum signum. Sed Iudaei, quia nihil horum intellexerunt, * in medium afferebant patrem eius et matrem, dicentes: « Fieri nequit, ut qui natus est ex hominibus descendat de caelo », quia non intellexerunt figuratum sermonem Domini.

* p. 146.

v. 43) *Respondit Iesus et dixit: Nolite murmurare inter vos.* (v. 44) *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Clarum est Iesum ubique in verbis suis ad Iudaeos caute attendere ne videatur eos a Patre avertere, ne causam inveniant sese excusandi in discussione cum eo. Etiam heic igitur redarguens stultitiam eorum dicit: Haud contra me tendit querela murmurationis vestrae, sed contra Patrem. Si enim familiares essetis Patris, non recusaretis credere mihi; quia fieri nequit ut aliquis sit meus, nisi Pater acceperit eum propter bonitatem voluntatis eius, atque mihi eum adduxerit. Tales vero ego accipio, atque debita sollicitudine, utpote a Patre mihi commissos, circumdo, et praemio magno resurrectionis dono. Totus hic sermo similis est huic quem dixit supra: *Haec est voluntas Patris, ut nihil perdam ex eo omni quod dedit mihi, sed resuscitem illud in novissimo die.*

Verbis autem sequentibus confirmat sermonem suum dicens: (v. 45) *Est scriptum in propheta: Erunt omnes a Deo edocti. Omnis ergo qui audivit a Patre et didicit ab eo, venit ad me.* Scitis, inquit, quod dictum est in propheta, scilicet omnes aliquando edocendos esse a Deo. Hoc igitur nunc vere adimpletur: ita nempe Pater eos, qui voluntate sua bona digni sunt, gratia sua invisibili adducit mihi; cum eius operatio teneat ipsis locum auditus et institutionis. * Et quia hoc: *omnis qui audit*, corporaliter dixit, ne credant de Ioseph dictum esse « Patrem », addit: (v. 46) *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Haec autem dico, inquit, non quasi vos Patrem videre valeatis, sic enim Patrem solus novit qui ex ipso est, semperque Genitoris aspectu fruitur.

* p. 147.

Postquam hoc dixit et totum ad personam Patris retulit, addit: (v. 47) *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet*

vitam aeternam. Itaque, inquit, nolite dubitare de eo quod dico: vitam aeternam dabo illis qui mei sunt. (v. 48) *Ego sum panis vitae.* Bene igitur consideravit illud quod dixit: « vitam aeternam do », fidem haud facere apud auditores; quia ne panis quidem, qui manducatur, natura sua videtur possidere ut det vitam perpetuam. Quomodo ergo crederent eum posse dare aliis, quod natura sua non habet? Nunc autem nomine figurato, tamquam per exemplum, solvit difficultatem sermonis, vocans seipsum panem. Ecce enim et panis qui inter nos comeditur, etsi natura sua non habeat vitam, vitam tamen hominum auget et sustentat, quia, Deo ita disponente, ad hunc usum destinatus est inde a principio. Igitur, inquit, nequidem nunc intuentes naturam nolite dubitare de verbo. Supra enim dixit: *Hunc Pater signavit*, ut innotescat eum haec bona dare, quia propterea a Deo positus est.

Deinde volens per comparationem indicare dignitatem suam ait: (v. 49) *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt.* (v. 50) *Hic est * panis de caelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Patres vestri qui manducaverunt manna, inquit, non tantum a sententia mortis non fuerunt liberati, sed omnes in deserto perierunt, neque digni inventi sunt ut intrarent in terram promissam. Qui vero hunc cibum manducat, eximitur a morte. (Notetur) hoc: « non morietur », non dixit « non gustabit mortem »; sed: exinde non est revera mors, quando quis moritur credens solutam esse (mortem). Ita etiam beatus Paulus dixit: *Circa eos qui dormiunt, fratres mei, volo ut sciatis, ne contristemini sicut ceteri qui spem non habent* [1], heic « dormientes » vocans, qui in resurrectionem sperant. In alio autem loco dicit: *Quare baptizantur pro mortuis?* [2] « mortuos » vocans corpora quae non habent spem resurrectionis; quasi qui spem resurrectionis habent, haud mortales essent. Ita et Dominus noster, ubi dixit: *Deus non est mortuorum sed vivorum* [3], noluit mortuos vocare eos qui exspectant resurrectionem.

* p. 148.

v. 51) *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis, quem*

[1] I *Thes.*, IV, 13. — [2] I *Cor.*, XV, 29. — [3] MARC., XII, 27.

ego dabo, caro mea est quam pro mundi vita dabo. Heic manifesto ostendit panem se vocare corpus suum; hoc autem nomine figurate vocans illud, aut quia comeditur, aut ad tradendum typum mysterii[1]. Dixit de caelo descendisse panem hunc, prout supra exposuimus. Non vult igitur significare corpus inde descendisse; sed (ita loquitur) quia natura sua sublime est donum istius rei. Alludendo ad magnitudinem divinitatis, confirmat verbum suum. Itaque * neque pro Iudaeis difficilis erat sermo in figura; et postea doctrina foret clara ac certa iis pro quibus haec dicta et scripta sunt.

* p. 149.

Cum haec dixisset Dominus noster atque clare ostendisset panem esse dictum de corpore suo, quatenus est manducandum, Iudaei iterum inter se litigabant dicentes: (v. 52) *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* dum ne natura quidem hoc admittit; atque repugnabant ab hoc sermone, tamquam a re dura et iniqua, si carnem humanam deberent manducare.

v. 53) *Dixit eis: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Non dicit: « Non vivitis », sed « non est vita in vobis »; id est, non eritis immortales. Vivere quidem possibile est, quia aliunde est causa huius vitae. Immortalis autem nullus potest esse, nisi in se accipiat hanc vitam. Deinde idem repetit: (v. 54) *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* (v. 55) *Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Hic est, inquit, cibus verus et potus verus, illis qui manducant eum. (v. 56) *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Quia nempe hic noster cibus et potus solent converti in naturam corporis nostri, quod ita sustentatur; et quod continuo deperit ex eo, renovatur per assimilationem illorum quae videntur affinitatem possidere cum corpore nostro; ex eo igitur quod accidit nobis, repetiit sermonem * et dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem,* tamquam communicationem mecum inde habebit, per effectum gratiae Spiritus;

* p. 150.

[1] Syriace rāzā, quae vox hic et saepius *eucharistiam* significat.

et tamquam unionem naturalem mecum possidebit, perpetuo fruens vita aeterna. Ita etiam beatus apostolus Paulus dixit: *Mutabit corpus humilitatis nostrae, et faciet illud in similitudinem corporis gloriae suae* [1].

Illa autem omnia verba sensu reali non pertinere ad divinitatem, clarum est, et ipsa de cetero accurate ostendunt; quapropter adiungit dicens: (v. 57) *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Contra haereticos illos, qui haec verba: *ego vivo propter Patrem,* nobis obiciunt ceu detrahentia divinitati Unigeniti, sufficit nobis ipse ordo verborum, ostendens quodnam sit obiectum orationis eius. Sufficit nobis etiam additamentum quod statim adiecit. *Sicut ego vivo propter Patrem,* conectit huic: *et qui manducat me et ipse vivet propter me.* Quis autem tam ineptus est, ut dicat divinitatem manducari? Nos igitur, Deo adiuvante, in ipsa explicatione ostendemus ordinem huius pericopae.

Quia nempe incredibile est, quod corpus posset dare vitam aeternam, compendio hoc (statuit). Pater, inquit, qui semper vivit, mihi dedit, quae naturae meae (creatae) non est, vitam aeternam, et per me iis qui manducant me. Postquam ita retulit ad Patrem quod est supra naturam corporis elevatum; postquam hoc accurate confirmavit, ita ut Iudaei non possent ei contradicere, — non poterant enim dicere corpus illa dare non posse, quamvis a Patre receperit * talem virtutem, — ad roborandum hunc sermonem, illumque obsignando definitive dicit: (v. 58) *Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Hic est panis, inquit, quem dixi vobis ab initio, qui descendit de caelo, et dat vitam aeternam; hic multum superat cibum manna, quam qui manducarunt mortui sunt sicut ceteri homines. A Patre enim recepit quod natura sua non habebat, et dat aliis ut communicent cum eo realiter. Addidit autem et heic: *qui de caelo descendit,* ut innueret, dicendo quidem « a Patre datum est eis », se ad aliud etiam alludere, ad naturam scilicet in qua erat.

* p. 151.

[1] *Philipp.*, III, 21.

Post haec dixit evangelista: (v. 59) *Haec dixit in synogoga docens in Capharnaum.* Evidens est, turbam, inde ab initio statim ac venit in Capharnaum ac vidit Dominum in synagoga, istis verbis cum eo usam esse atque audivisse totam istam orationem ac praedicationem. Quando ergo audierunt ista, prout dixit evangelista, multi ex discipulis dixerunt: (v. 60) *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Quia humano modo audierunt manducandam esse carnem, putaverunt hoc esse illicitum atque durissimum. Evangelista probabiliter vult significare, discipulos inter se illa dixisse; nam addit: (v. 61) *Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis;* superflue nempe dixisset: « sciens in seipso », si aperte istud a discipulis dictum fuisset. At propter honorem verentes eum, sicut decet discipulos, haec intra se cogitabant. Ipse vero virtute divina cognoscens cogitationes eorum * dixit eis: (v. 62) *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi prius erat...* « Scio vos esse scandalizatos propter verba ista, quae vobis omnino incredibilia videntur, quia ad naturam visibilem tantum respicitis. Sed quando videbitis eum ascendentem in caelum et in dignitate altiore fieri, numquid ne tunc quidem credetis iis quae dicta sunt? Annon potius erubescetis ab hac visione? » Prout heic etiam ostendit, quando vult loqui de magnis quae erga suam humanam naturam evenerunt, probat illa haud suapte natura esse facta, sed ex natura sua divina. Naturae enim humanae non congruit hoc: *ascendit ubi prius erat.* Non enim de caelo descendit, et iterum eo ascendit. Sed ut dicat tamquam per figuram: *ascendet in caelum,* ad locum eius qui in ipso est, qui nempe secundum magnitudinem naturae suae dedit ei ex suo, et tulit eum sursum. Igitur natura illa, per quam ascendere potuit, contulit ei potestatem dandi vitam aeternam.

* p. 152.

v. 63) *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam.* Quemadmodum supra, multis de seipso dictis, ad finem clare addidit se esse Filium hominis, « nolite mirari de hoc..., non possum a meipso facere quidquam »; ita et hic, postquam dixit quaenam corpus suum daturum sit manducantibus illud, pulchre solvit dubium verbi sui dicens: Haud caro quidem, ipsa sua natura, confert hoc beneficium, sed natura divina,

quae non est immersa in materia, per corpus largitur vitam istam. Hic ergo manifesto de natura (divina) Unigeniti loquitur. Postquam enim dixit: *Ascendet ubi prius erat,* * subiunxit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam,* id est per unionem suam cum ista natura (spirituali = divina) dat illa manducantibus se. Ecce enim in mysterio eucharistico, quod apud nos perficitur in typo corporis Domini, per descensum Spiritus sancti, credimus hoc ipsum fieri; ut hinc etiam innotescat naturam eius aequalem esse cum Spiritu. Etiam corpori Domini nostri tamquam chrismatis loco fuit, et semper est cum eo; unionem cum Deo Verbo et participationem praeparavit ei: (v. 63) *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Igitur, inquit, etiam quae dixi vobis, spiritualiter intellegenda sunt; ita credere poteritis ea esse vitam aeternam.

* p. 153.

v. 64) *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Per haec ostendit, quamvis praedicatio eius respiceret totam multitudinem, se tamen accurate cognoscere omnium cogitationes, et non pro specie tantum docere. Propterea addit evangelista: *Sciebat enim iampridem qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* (v. 65) *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Utpote certo cognoscens cogitationes vestras, inquit, dicebam nullum posse venire ad me, qui non sit electus a Patre; qui enim ut talis longe et reiectus est in scientia Patris, ne quidem mecum familiaritatem habere potest.

v. 66) *Propterea multi discipulorum eius abierunt et cessarunt cum illo ambulare.* Discipulos alios quam duodecim evidenter hic designat. Statim enim subiungit: (v. 67) *Dixit Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?* Ostendit haud * quantitatem, sed conscientiam sibi esse acceptam. Simon autem nomine omnium respondet dicens: (v. 68) *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei vivi.* Illorum opinio non est nostra; nos enim scimus atque certi sumus te esse Messiam, Filium Dei, quem exspectabamus; et verba tua credentibus praeparant vitam aeternam, eisque vere largiuntur quod promittunt.

* p. 154.

Quid ergo dixit Dominus post haec? (v. 70) *Nonne ego vos duodecim elegi? et ex vobis unus diabolus est.* (v. 71) *Dicebat autem Iudam Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* Quia Simon nomine omnium respondit, clare manifestavit Iesus se scire quinam in mente sua se committerent ei, et quis in opposita via ambularet.

[Cap. VII, v. 1)] — *Post haec autem ambulabat Iesus in Galilaea,* quia hucusque vitabat ire in Iudaeam propter Iudaeorum odium. Cum autem prope esset festum Tabernaculorum, — omnes enim debebant undique festinanter ascendere in Ierusalem propter festum, — dixerunt ei fratres eius: (v. 3) *Transi hinc et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.* (v. 4) *Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse; si haec facis, manifesta teipsum mundo.* Haec autem dicebant ei fratres eius, humana cogitatione moti; desiderabant nempe ut in conspectu omnium per signa revelaret seipsum, ita ut et ipsi glorificarentur propter eum. Non possidebant enim circa eum opinionem perfectam, ut crederent eum omnino * coram omnibus esse revelandum propter naturam in eo absconditam, atque super omnes esse exaltandum. Ad hoc autem alludit evangelista dicens: (v. 5) *Neque enim fratres eius credebant in Iesum,* significans valde infirmam et vilem esse opinionem quam de eo habebant.

* p. 155.

v. 6) *Dicit eis Iesus: Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Vobis, inquit, ut ascendatis quandocumque vultis tempus est, etiam ut ostendatis vosmetipsos; nihil enim circa vos tempus innovat. Ego vero, quia mira et excelsa est natura in me latens, nunc abscondo meipsum, quia hoc inservit oeconomiae salutis adimplendae. Erit nempe tempus meum, quando clare manifestabo in conspectu omnium quisnam sim. Alludit autem ad crucifixionem suam et ad ea quae postea evenerunt; prout et alibi dixit: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis* [1]. Deinde ut ostendat quare vitaret ascendere dicit: (v. 7) *Non potest*

[1] Ioh., xii, 23.

mundus odisse vos, me autem odit, quia ego **testimonium** *perhibeo de illo quod eius opera mala sunt.* (v. 8) ***Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.*** **Vos quidem,** prout decet, ascenditis, quia nihil vos impedit; me autem odio habent, quia increpo eorum nequitiam; per quietem et moram placabo iram eorum. Ideo nunc prudenter non ascendam; ascendam vero tempore opportuno. Pulchre et caute dixit: *Non ascendam nunc;* significans futurum esse ut ascendat, at non statim nunc initio festi.

Subiungit evangelista dicens: (v. 9) ***Postquam haec dixit, remansit in Galilaea.*** * (v. 10) ***Ubi autem ascenderunt fratres eius primo, tunc et ipse ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto.*** Quia alii irati erant adversus eum, alii autem desiderabant eum videre, in eius amorem moti propter miracula quae fecit, utrique parti proficiebat eius dilatio: illis quidem (adversariis), ut sedaretur eorum ira; aliis vero, ut excitaretur amor eorum.

* p. 156.

Dicit igitur evangelista: (v. 11) ***Iudaei quaerebant eum in die festo,*** — quasi miracula quae fecit, et verba quae locutus est adhuc in auribus eorum resonarent; — ***et dicebant: Ubi est ille?*** Evidenter hoc est verbum illorum, qui erant irati adversus eum. Et addit: (v. 12) ***Murmurabant, quia divisae erant opiniones eorum. Quidam enim dicebant: Bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.*** (v. 13) ***Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.*** Cum ideo egregia prudentia contigerit eius mora, ut sedaretur ira et furor illorum qui non statim viderunt eum, atque magis inflammaretur amor illorum qui desiderabant eum videre, (evangelista) dicit: (v. 14) ***Iam autem festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat eos.*** (v. 15) ***Et mirabantur de eo [Iudaei, dicentes]: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?*** Et quomodo tanta doctrina utitur? Ut autem more suo Dominus noster introduceret causam incredulitatis illorum, dixit illis: (v. 16) ***Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*** (v. 17) ***Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.*** Causam, inquit, incredulitatis vestrae nolite facere

causam vindictae pro Deo. Ecce enim clare dico, ipsiusmet esse * verba illa, atque ad eum vos adduco per verba mea. Si vultis facere voluntatem Dei, intellegetis meam doctrinam esse ipsius, minime vero ipsi alienam. Hic autem clare manifestat haec verba: *Non a meipso loquor*, esse dicta propter oppositionem, minime vero propter infirmitatem. Per verba: *Cognoscetis utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar*, significare vult: Intellegetis utrum ab eo an contra eum sit doctrina mea. Similiter dictum est: *Non potest Filius a se facere quidquam* [1], prout loco suo explicavimus; significat nempe consensum perfectum.

Quapropter ad explicandum clarius verbum suum addit dicens: (v. 18) *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in eo non est.* Si ego, inquit, a Deo vos removerem et mihi addicerem, manifestum foret me Deo oppositam doctrinam vos docere. Sin vero per verba mea vos attollo ad eum, patet atque evidens est, iusta esse verba quae dicta sunt vobis, neque ullam causam habere illos qui volunt ea reprehendere tamquam verba iniqua. Sed cum in praecedenti festo illum violatae Legis in sanando paralytico accusassent [2], ut tollat excusationem ipsorum incredulitatis, iterum in hoc subiectum dirigit sermonem suum dicens: (v. 19) *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis servat legem. Quid me quaeritis interficere?* Si ergo, inquit, legem Moysis vindicatis, operibus probate vos eamdem servare; atque dicite mihi, quare me * interficere velitis; hoc enim legi contrarium est magis quam alia quaevis violatio [3].

v. 21) *Respondit Iesus et dixit eis: Unum opus feci, et vos omnes miramini.* Hoc verbum « miramini » heic non legitur tamquam encomium, sed dicere vult: Obstupuistis tamquam de re nova et mira; et irati estis tamquam ob violatum prae-

[1] Ioh., v, 19. — [2] Cap. v. — [3] Deest v. 20; textus expunctus, probabiliter utpote Christo opprobriosus: *Daemonium habes*... Cf. *Patr. Gr.*, LXVI, col. 749-750, ad v. 19. Quae ibi ad v. 20 (post νενόμισται) leguntur sunt verba Ioh. Chrysostomi, *In Ioh.* 49 (al. 50) ad finem 2 et initio 3 (*P. Gr.*, LIV, col. 276-277); ideo falso adscribuntur Theodoro Mopsuesteno.

ceptum, quod nobis Deus dedit per Moysen. Adiungit deinde dicens: (v. 22) *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, — non quia ex Moyse est, sed ex patribus, — et in sabbato circumciditis hominem.* (v. 23) *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysis, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Demonstratione valida usus est: Moyses, inquit, dedit circumcisionem et sabbatum; atque iussit hominem circumcidi in sabbato. Sed sabbatum dedit convenienter, hucusque enim nullus hominum illud observabat. Circumcisionem vero supervacanee dederat; data enim iam fuerat a Patribus; sed et illam dedit, ut doceret observationem haud inter necessaria esse, quin contra quandoque illud esse solvendum. Si ergo sabbatum solvatur propter circumcisionem, quia sic placuit Moysi, neque hoc ceu transgressio legis reputatur; quod sanatus sit homo in sabbato, numquid reputabitur a vobis tamquam violatio legis? Propterea pudore eos afficiendo adiungit et dicit:

v. 24) *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Si transgressor legis est, inquit, qui aliquid in sabbato operatur, primo vituperandus est Moyses. Sin vero ille haud reputatur tamquam transgressor legis, quanto excellentior est actio mea, tanto magis sum elevatus supra vituperationem. * Cum haec dixisset, tacuerunt, quia manifesta increpatione perculsi erant.

v. 25) *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est quem quaerunt interficere?* (v. 26) *Quomodo ergo fit, ut palam ei loquenti nihil dicant? Numquid cognoverunt principes, quia hic est vere Christus?* (v. 27) *Sed hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit, nullus scit unde sit.* Cum manifestum mendacium esset quod dicebant, — ex verbo prophetico enim sciebant Messiam ex Bethlehem et de domo David oriundum esse; quod clare apparet ex iis qui ab Herode interrogati fuerant et responderunt; — propterea dixit eis Dominus: (v. 28) *Me scitis et unde sim scitis; et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.* (v. 29) *Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.* Ecce, inquit, scitis unde Messias venturus sit; atque de me certo scitis undenam sim; hinc potestis comperire veram esse prophetiam de

me. Non enim veni facere voluntatem meam adversantem Patri... Sin vero putatis hoc esse signum adventus Messiae, quod nesciatis undenam sit, etiam quoad me scitote vos non perfecte me cognoscere. Nam quamvis me cognoscatis quantum ad exteriorem speciem; quantum vero ad speciem interius latentem non me cognoscitis. Et cum Patrem meum non cognoscatis, patet vos neque me accurate cognoscere. Ego vero Patrem cognosco, et quia ab eo missus sum, voluntatem eius facio, ne sit vobis excusatio incredulitatis vestrae. * Ex eo quod omnia secundum voluntatem Patris facio, et ex iis quae sensu de me percipitis, potestis comprobare me esse Messiam; insuper et ex eo quod est aliquid in me absconditum multum excedens captum vestrum..., quia et hoc dixistis esse signum adventus Messiae.

* p. 160.

v. 30) Cum haec dixisset, voluerunt eum apprehendere, at nullus iniecit in eum manus, — quasi essent impediti virtute divina, — quia nondum venerat tempus, quo oportebat adimpleri passio eius. Exinde apparet eum, nonnisi volentem, potuisse ab illis deprehendi. Sed haud inutilia fuerunt verba illa, prout dixit evangelista: quia multi crediderunt eum esse Messiam. Dicebant: Impossibile est, ut qui venturus est faciat signa maiora quam ille. Pharisaei autem, hanc populi opinionem haud tolerantes, invidia et ira commoti sunt, atque una cum summis sacerdotibus ipsi miserunt satellites qui eum adducerent; at illi, divino interventu impediti, non potuerunt hoc facere. Dominus autem ostendens se tunc accepturum esse passionem, cum sibi placuerit, dixit eis: (v. 33) *Adhuc modicum tempus vobiscum sum; et vado ad eum qui me misit.* (v 34) *Quaeretis me et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire.* Quare, inquit, studetis apprehendere me, et quaeritis facere quod non est in vestra potestate? Exspectate adhuc per breve tempus, et ego tradam meipsum vobis. Vado enim ad Patrem post mortem meam; et, tendens eo, recedam certo a vobis; et valde super vos exaltabor, ita ut, etiam si me quaeratis, invenire me non possitis; atque etiam si velitis, venire non possitis ubi ego sum, adeo ero elevatus super vos * in gloria et honore. At Iudaei ne unum quidem verbum ex istis intellexerunt; quod non est mirum, cum neque disci-

* p. 161.

puli, prout pluries iam ostendimus, intellegerent dicebantur; in fine didicerunt ista ex factis.

Quia igitur non intellegebant illa, ineptum istud responsum dabant ei, dicentes inter se: (v. 35) *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Numquid in regiones Gentium iturus est, et docturus paganos?* (v. 36) *Quis est hic sermo quem dixit?* Itaque circa eius verba in dubio erant, quia humano modo de istis cogitabant.

v. 37) *In die autem maximo, qui est ultimus festivitatis, stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat:* (v. 38) *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* (v. 39) *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Initio vitaverat eo ire; cum autem festum ad medium accederet, ascendit. Verbis demissis inceperat loqui, omnia referendo ad Patrem; in fine autem festi, cum in eo essent turbae ut reverterentur ad domus suas, clare ad fidem suam alliciebat omnes. Quidam haec: *prout dixit Scriptura,* ad verbum sequens retulerunt et quaerere inceperunt, ubi scriptum sit: *Flumina de ventre eius fluent.* At referendum est ad verbum praecedens. Quia nempe in libris divinis de Messia multae sunt prophetiae, * omnem hominem incitantes ad fidem in eum, prout et alibi dixit: *Illae Scripturae testimonium perhibent de me*[1], hoc dicere vult: Omnis qui sequitur Scripturas et credit in me, implebitur gratia, sicut flumen quod non tantum non exsiccatur, sed scaturit ea, ita ut sufficiat sibi et aliis multis inserviat. Ita revera et Apostoli, postquam receperunt Spiritum, aliis multis, ex recepto dono, fuerunt causa utilitatis multae. Intellegamus et hoc, Spiritum sanctum frequenter non personam Spiritus sancti eiusque naturam designare, sed eius operationem eiusque gratiam. Heic evidenter locutus est de gratia, quam recepturi erant Apostoli, et quae per eos transmittenda erat ad alios. Hoc autem nondum factum erat, quia incipiet in iis qui recipient illam, et crescet, et quandoque diminuet propter nequitiam sumentium illam. Igitur et Paulus dixit: *Spiritum nolite extinguere*[2].

* p. 162.

[1] Ioh., v, 39. — [2] I *Thess.*, v, 19.

Verbis istis auditis, iterum dicebant aliqui: (v. 40) *Hic est vere propheta.* (v. 41) *Alii vero dicebant: Hic est Christus.* At Scriptura non intendit dicere alium esse prophetam, alium vero Messiam; sed vulgus inepte duos exspectabat propter differentiam verborum. *Alii autem dicebant: Numquid a Galilaea venit Christus?* Undenam est hic? (v. 42) *Ex semine enim David, et ex Bethlehem civitate David venit Messias, prout dicit Scriptura.* Propterea dissensio magna facta est in populo; alii dicebant hoc, alii illud. Cum scirent locum et genus unde oriundus foret Messias, manifesto falsum est quod supra dicebant, scilicet ignotum esse * unde veniat Messias. Quapropter et Dominus merito retorserat eis responsum dicens: (v. 28) *Et me scitis, et unde sim scitis,* prout, auxiliante Deo, accurate explicata fuerunt verba illa loco suo.

* p. 163.

Pharisaei autem, iterum non tolerantes illam populi opinionem de Domino nostro, voluerunt eum comprehendere per ministros suos. At nullus ausus est appropinquare ad eum; gratia enim Dei erant impediti. Quin contra, reversi emissarii et interrogati: (v. 45) *Quare non adduxistis illum?* dicebant eum doctrinam novam, superantem quamvis humanam doctrinam, docere.

Propterea Pharisaei, videntes ministros illos una cum populo admirari verba eius, ac propterea sibi impositum mandatum despexisse, dicebant illis: (v. 47) *Numquid et vos seducti estis?* (v. 48) *Numquid ex principibus aliquis aut ex Pharisaeis credidit in eum?* (v. 49) *nisi vulgus istud quod Legem nescit; maledicti sint!* Talia dicuntur ab hominibus turbatis, qui vi ac mina cohibent populum; memorant autem principes quasi eorum nullus crediderit, hos enim ob gloriam humanam pudebat descendere ad statum tironum; et tamquam legis ignaro maledicebant populo, iis scilicet qui mente simplici ad veritatem accedebant.

Cum Pharisaei illa dixissent, Nicodemus opportune respondit eis, dicens: (v. 51) *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid fecerit?* Haud iuste, inquit, condemnatis eum, quia nondum audistis verba quae satellites audierunt et admirati sunt. Quia illi igitur principes legemque in medium adduxerant, * contra utrumque aptatum

* p. 164.

est responsum Nicodemi: nam contra legem illos accusare Iesum de iniquitate, manifestum est ex Nicodemi verbis; similiter evidens est, non omnibus principibus placere quod faciebant, cum unus ex principibus esset ipse Nicodemus, qui respondit contra verba illorum.

Quapropter a servis convertebant in ipsum iram suam dicentes: (v. 52) *Numquid et tu ex Galilaea es? Scrutare et vide quia a Galilaea propheta non surgit.* Quia animadverterunt valde mirabilia esse opera et dicta Domini, eaque sufficere ad convertendos universos ad fidem, a nullo iam recipiebant iustum responsum, sed iracundi loquebantur contra omnes, qui optimo iure bene de eo dicebant. Eodem igitur modo atque ad satellites respondebant illi et ad Nicodemum, idemque faciebant. Sed Nicodemus, aut ex infirmitate aut propter timorem principum, non respondit eis quando volebant, mentione Galilaeae facta, deprimere opera verbaque Christi.

[Cap. VIII] [1]. — Dominus noster, videns hanc quaestionem moveri inter eos, appropinquavit et dixit eis: (v. 12) *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed inveniet lumen vitae.* Quia convitiabantur regioni Galilaeae tamquam profanae, — at cum scriptum sit in propheta: *Galilaea gentium, populus qui sedet in tenebris, vidit lucem magnam* [2], quo verbo manifestum est populum Galilaeae iuxta prophetiam electum esse ad recipiendam abundantiam magnorum bonorum, — dicit eis: *Ego sum lux mundi.* Nonne recolitis verbum prophetae, * iuxta quod Galilaei fruenter luce magna? Lux ergo illa ego sum. Atque non tantum illis, sed omni homini sufficio. Qui adhaerent mihi, non patientur malis, atque sufficio omnibus hominibus.

* p. 165.

v. 13) *Dicunt ei Pharisaei: Tu de teipso testimonium perhibes.* Quomodo est possibile? Quid ergo respondet eis Dominus? (v. 14) *Et si testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio unde veni et quo vado;*

1 Pericopa de muliere in adulterio deprehensa (*v. 1-11*) deest. —

2 Is., IX, 1-2.

vos autem nescitis unde venio et quo vado. Ecce, inquit, quamvis ego testimonium perhibeam de meipso, minime reiciendum est testimonium meum; loquor siquidem quae decent meam dignitatem. Scio enim in quali statu futurus sim post ascensionem meam in caelum; et cognosco dignitatem in me latentem. More suo consueto heic etiam tamquam in figura dixit: *Unde venio et quo vado,* manifestans honorem humanitatis suae, et clare[1] alludens ad divinitatem suam. Haec, inquit, vos nescitis; plurimum enim vestram excedunt cognitionem.

Et quaenam est ratio, cur non noverint te, neque crediderint verbis tuis? Dicit: (v. 15) *Vos secundum carnem iudicatis;* id est: quia secundum carnem visibilem iudicatis ista, ideo non cognoscitis illum qui has virtutes operatur. *Ego non iudico quemquam;* (v. 16) *et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego et Pater meus qui misit me.* Figurate solet loqui de seipso ad Iudaeos, praecipue quando vult revelare dignitatem humanitatis suae, et dum alludit ad naturam divinitatis suae, propter quam consors factus est totius dignitatis illius; hoc impraesentiarum repetimus, * et aliis locis iam pluries ostendimus. Apparet hoc sufficienter ex his verbis: *Ego enim non iudico quemquam, et si iudico ego, iudicium meum verum est.* Ecce si: *Non iudico ego,* quo tendit illud: *Si iudico ego?* Sin autem iudicat ipse homines, prout est veritas; ad quid servit hoc: *ego non iudico quemquam?* Quid est igitur hoc? Quia dixit eis: *Secundum carnem iudicatis,* vult ut sciant verba, de humanitate sua dicta, minime consideranda esse ceu remota a fide, quia respiciunt illi ad naturam visibilem. Quare? Quia, dicit, natura divina est abscondita in eo, propter quam particeps est omnium mirabilium illorum. Si verba dicta de divinitate acciperent Iudaei, nihil prohiberet quominus clare et publice diceret illa; at quia doctrina de istis multum excedebat omnium captum, dum de talibus loquebatur, figurate proponebat eis doctrinam veritatis.

* p. 166.

Dixit vero et supra in alio loco: *Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio*[2]. Non quod ablatum sit a Patre

[1] B: obscure. — [2] Ioh., v, 22.

officium iudicandi; sed quia oportet visus iudicandorum cadat sub visu iudicis, ideo convenienter hoc fit per hominem assumptum; non quod suapte natura habeat tantam dignitatem, sed quia Deus-Verbum habitat in eo, per quem communicat cum Patre. Propterea dicit: *Haud Pater iudicat, sed omne iudicium dedit Filio.* De illo enim qui videtur (in natura humana) dicit: datum est ei iudicium; eumdemque dicit iudicare. Hoc accurate ostendimus, * ubi verba illa explicavimus. Itaque hic est scopus huius verbi: neque divinitatem Unigeniti iudicare mundum, quia aeque Deus-Verbum est invisibilis hominibus ac Pater, quamvis non sit remotus ab officio iudicandi sicut nec Pater.

* p. 167.

Hoc igitur: *Si iudico ego, iudicium meum verum est,* de natura suà humana dixit, quae ventura est de caelo ad iudicandum omnia. Propterea statim ac dixit: *Iudicium meum verum est,* adiunxit: *Non sum solus, sed ego et Pater meus qui misit me.* Dum oportebat dicere: *Non sum solus, sed et Pater meus qui misit me;* addit vero: *sed ego (et Pater...),* alludens iterum ad divinitatem. Similiter et Apostolus, loquens de anima nostra et de corpore nostro in epistula ad Romanos, atque docens nos quomodo anima possit tendere ad virtutem, quomodo autem et corpus propter mortalitatem sibi naturalem faciliter motu naturae suae inclinetur ad peccatum, dicit: *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet*[1]. At non de eodem dixit hoc: *Mihi volenti facere bonum,* et illud: *quoniam mihi malum adiacet;* quia ne contradictio quidem terminorum hoc tolerare potest; quamvis in utroque posuerit pronomen: *mihi.* Sed hoc: *Volenti mihi facere bonum,* dixit de anima; illud autem: *quoniam mihi malum adiacet,* dixit de corpore. Cum de duabus naturis dissereret et de duabus rebus diversis, apte iuxta differentiam naturarum, posuit cum utroque membro pronomen *mihi* tamquam de uno; hoc est de sua persona loquitur quoad utrumque propter unionem quae habetur inter corpus et animam. Ita etiam Dominus noster, * quando de humanitate sua et de sua divinitate loquebatur, pronomen *ego* retulit ad personam[2]

* p. 168.

[1] *Rom.*, vii, 21. — [2] Syr. parṣopa.

communem. Et ut ostenderet se in omnibus istis non de una eademque natura loqui, usus est variis verbis. Quia in uno loco dixit: *Ego non iudico,* et in alio dixit: *Si iudico ego.* Dixit autem primum sensu supra a nobis explicato. Postquam enim dixit eis: *Vos secundum carnem iudicatis,* ut sciant nequidem circa hoc sibi dubitandum esse, subiunxit: *Ego neminem iudico; et si iudico, iudicium meum verum est.* Et huic est simile quoad significationem: *Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio.* Hoc enim et heic dixit, scilicet: Sic [non] oportet vos dubitare de iis quae de natura humana dicuntur; sicut et hoc scire debetis: *Ego non iudico quemquam,* designans vero suam divinitatem. Hic autem (homo-Christus) qui omnem hominem iudicat, et accedit ad iudicium, quia videtur ab iis qui iudicandi sunt, eiusque iudicium, quod iudicat, verum et iustum est. Nam cum huius dignitatis sit particeps, iure profert iudicium in omnem hominem, quia non est solus, neque a semetipso facit illa. Tunc enim (si a semetipso iudicaret), neque crederetur, propter infirmitatem naturae suae, talia posse operari. Sed sum ego cum eo, id est natura divina. Est autem cum eo etiam Pater. Necessario quidem; quia quod mihi est coniunctum, etiam est apud Patrem. Propterea si quis accedat ad lectionem loci illius ubi dicit: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* [1], magnam similitudinem inveniet inter locum hunc et illum quoad sensum. Nam et ibi magnitudinem suam * demonstrat per verbum: *iudico;* neque dubitandum est de dictis, quia alia est causa eorum actus.

* p. 169.

Quapropter egregie adiecit dicens: (v. 17) *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* (v. 18) *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso; et Pater meus, qui misit me, testimonium perhibet de me.* Hic etiam clare manifestat testimonium, quod dicitur perhibere cum Patre, respicere divinitatem; et tamquam ab illis duobus est testimonium humanitatis suae, a Filio propter coniunctionem, et a Patre propter familiaritatem mediante Filio.

[1] Ioh., v, 22.

Postquam dixit: *Vos secundum carnem iudicatis,* et postquam ostendit qualis et quanta sit dignitas humanae suae naturae, ordinate addidit: Quoniam e duobus est testimonium de eo, ut dignus habeatur qui a vobis credatur quoad omnia de eo dicta, etsi videantur excedere naturam eius; et praecipue quia lex vestra hoc vult, ut omne negotium, circa quod habetur dubium, firmetur si duo testimonium dent de eo; igitur secundum voluntatem legis, duo testes haberi debent praeter illum de quo est testimonium. Si igitur Pater et Filius quoad divinitatem testimonium perhibent pro humana natura Domini nostri, firmum stat argumentum legis. Sin autem ipse sibi per haec omnia testimonium perhibet, unus est testis et non duo. Igitur argumentum ex lege clare ostendit sensum verborum Domini, quae figurate erant dicta propter auditores.

Post illa interrogabant eum Iudaei: (v. 19) *Ubi est Pater tuus?* audientes hoc nomen « patris » modo humano. Dominus dixit eis: *Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, etiam Patrem meum sciretis.* * Scio, inquit, vos de patre interrogare, nescientes de quonam loquar; sed putatis me loqui de homine qui foret pater meus. Neque mirum est, quod illum non cognoscatis, cum neque me cognoscatis, quem tamen reputatis cognoscere. Simile est hoc verbo dicto ad Philippum: *Qui videt me, vidit Patrem* [1].

* p. 170.

v. 20) *Haec in gazophylacio locutus est in templo, et nemo apprehendit eum,* quamvis vehementer irati essent et vellent eum deprehendere. Quapropter et Dominus noster contra voluntatem et mentem eorum respondebat dicens: (v. 21) *Ego vado, et quaeretis me, et in peccatis vestris moriemini. Et quo ego vado, vos non potestis venire.* Quare festinatis deprehendere me, dum non potestis? Exspectate paululum, et ego tradam meipsum vobis. Abire enim debeo ubi multum vos superabo, et ubi ad me appropinquare non poteritis, quando vindicabitur vestra temeritas contra me.

Iudaei autem dicebant: (v. 22) *Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?* Non humanum tantum, sed insanum erat hoc responsum. Quo

[1] Ioh., xiv, 9.

enim iturus erat post mortem suam, — si humano modo acciperet hanc mortem, — necessario et ipsi tamquam homines ituri erant; cum hunc terminum omnibus statutum exspectarent.

At Dominus noster dixit eis: (v. 23) *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc* * *mundo.* (v. 24) *Dixi vobis quia moriemini in peccatis vestris.* Vos (inquit), humano modo cogitatis de verbis meis. Mors autem mea non est sicut ceterorum hominum, sed post mortem meam ero in gloria excelsa, quando ad caelum ascendero per supernam naturam quae in me est. Vos autem, quia in omnibus de hoc mundo estis, consequenter etiam humano modo circa me cogitatis. Propterea dixi vobis, passuros vos esse vindictam temeritatis vestrae contra me, quia noluistis credere iis quae contigerunt mihi; quantum enim haec sublimia sunt in sua dignitate, ita et vos iustam punitionem recipietis.

* p. 171.

Ipsi autem dicunt ei: (v. 25) *Tu quis es? Dicit eis Iesus: Quamvis inceperim loqui vobiscum, multa mihi dicenda sunt ad vos et iudicanda.* (v. 26) *Sed qui me misit, verax est; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.* Indignos debebam vos iudicare quos alloquerer, tam contentiosi enim estis et habetis malam voluntatem. Cum enim circa multa sit mihi ratio vituperandi vos, iure ne digni quidem eratis reputandi loquelae meae. Nec enim qui misit me ad vos, aliquid falsum mihi commisit dicendum vobis, cum sit in omnibus verax, semperque in sola veritate gaudens; nec ego alia quam ea quae vult, loquor vobis. Propterea quia iuste poteram vos vituperare, utpote veritati resistentes, debuissem vos habere tamquam indignos loquelae meae. (v. 27) *Et non cognoverunt,* notat evangelista, *quia Patrem eis dicebat*; id est, non intellexerunt de quonam patre diceret eis.

(v. 28) *Dicit eis iterum Iesus: Cum exaltaveritis Filium hominis,* * *tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso dico nihil; sed sicut docuit me Pater, ita loquor;* (v. 29) *et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei, facio semper.* Scio, inquit, vos nunc non intellegere quae dicuntur, neque scire de quonam Patre loquar; haec enim excedunt captum vestrum. Sed in cruce cognoscetis

* p. 172.

virtutem meam, et intellegetis me nihil contrarium Patri facere; quando nempe videbitis totum universum turbari, et Patrem, propter facta ista, manifestare iram suam; (Patrem, inquam), qui nunc mecum est, gaudens de iis quae a me dicuntur et fiunt. Ostendit autem et heic verba: *A meipso facio nihil,* dicta esse pro: *Nihil contrarium facio.* Notat deinde evangelista (v. 30), propter verba illa multos credidisse in eum.

Dominus autem dicebat ad illos qui crediderunt: (v. 31) *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,* (v. 32) *et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos.* Quamcumque artem corporalem addiscamus, propter utilitatem eam addiscimus; atque inter homines notum est quamnam artem promittat unusquisque docere eos, qui addiscere volunt, artem fabri lignarii aut ferrarii aut aliam quamlibet. Aptissime et Dominus noster ex eo quod remaneant in fide, definivit veritatem discipulatus illorum; et dixit: Haec est doctrina mea, cognitio veritatis; doctrina qua nihil altius. Huius autem doctrinae fructus est liberatio a malis; per illam dantur hominibus omnia bona.

Cum haec dixisset Dominus ad credentes, Iudaei putantes verba illa esse sibi opprobrium, * dicebant ei: (v. 33) *Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus umquam.* (v. 34) *Quomodo tu dicis: Liberi eritis?* Falso etiam hoc dicebant: Numquam liberati fuerunt a servitute Aegyptiorum qui erant eorum vicini, neque a Babyloniis; et nunc, quando haec dicebant, Romanorum erant subditi. Attamen Dominus non se demisit ut reprehenderet eos circa illud, quamvis mendacium dicerent. Sed clare explicans verbum suum et manifestum faciens, quod suam doctrinam decebat, dixit eis: (v. 34) *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati; servus autem non manet in domo in aeternum.* Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Inter homines a voluntate dominorum dependet, quod servi remaneant in domo vel non; domini enim expellunt eos quando volunt. Filius autem est heres et dominus domus. Hoc ergo dicere intendit: haud corporalis servitus est obiectum sermonis mei, sed de vera libertate loquor vobiscum. Quemadmodum dominus servum, in quo videt intentionem

* p. 173.

malam, domo expellit, cum sibi placuerit, illumque poenis quibus voluerit subicit; filium autem utpote dominum nullus domo expellit; sic qui servit peccato, cum longe sit ab omnibus bonis divinis, perpetuo punitioni traditur; qui autem libertatis dignus factus est, et in filii loco constitutus est, semper bonis divinis fruitur, nec unquam ab illis dimoveri potest. Si igitur, inquit, *per me liberemini, et digni efficiamini tituli filiorum, tunc reipsa possidebitis veram libertatem. * p. 174.

Deinde vituperans eos quod frustra et in vanum glorientur de cognatione sua cum Abraham, dixit eis: (v. 37) *Scio quia semen Abrahae estis; sed quaeritis me interficere, quia verbi mei capiendi haud idonei estis.* Filii quidem estis Abrahae; reprehendo autem vos, quia video vos operibus haud esse filios Abrahae; praeterea verba mea non accipitis; insuper vultis me occidere frustra. Postquam ostendit voluntatem eorum extraneam esse ab Abraham, dixit eum quonam habeant affinitatem, semetipsum per comparationem notum faciens: (v. 38) *Ego quod vidi apud Patrem meum loquor: et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Igitur, inquit, ex operibus vestris apparet cuiusnam sitis filii; similiter ex eis quae loquor et operor, apparet cuius sim filius, quamvis dictis non credatis.

Cum dixisset Dominus: *Scio quia semen Abrahae estis,* Iudaei videntes hoc ab eo esse admissum, addiderunt dicentes: (v. 39) *Pater noster Abraham est.* Tunc clare dixit Dominus eis: *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.* (v. 40) *Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit.* Quomodo, inquit, possunt esse filii Abrahae, qui ipso actu ostendunt se eidem extraneos esse. Ille enim et quae ignorabat scire studebat; vos autem vultis me occidere, qui sum adiutor vester et doctor veritatis. Deinde *protrahens ordinem supra dictum, concludit: (v. 41) *Vos facitis opera patris vestri.* Ergo, inquit, ipsa opera vestra probant vos extraneos esse Abrahae, atque proclamant clare patrem vestrum. * p. 175.

Iudaei autem putantes alium ab eo dici patrem ipsorum, atque intellegentes materialiter omnia quae Dominus eis dicebat spiritualiter, dicunt: (v. 41) *Nos ex fornicatione non sumus*

nati; unum patrem habemus Deum. Poterat Dominus eos arguere, quod et in hoc vehementer errarent: saepe namque commixti gentibus, et ex fornicatione plurimi erant nati: quod a prophetis saepenumero illis improperatum legitur. Sed id Dominus non vult facere, at ipsum eorum verbum retorquet ceu severam increpationem dicens: (v. 42) *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.* A Deo, inquit, veni ad vos, neque contrarium ei quidquam loquor vobis. Si igitur Deus est pater vester, prout dixistis; quomodo non recipitis eum qui secundum eius voluntatem loquitur vobiscum? Intellegamus vero et heic verba: *A meipso* [*non*] *veni,* manifeste de contrarietate esse dicta.

v. 43) *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* Interrogative oportet hoc legamus. Hoc enim vult dicere. « Dico vobis: Quare non intellegitis verba mea? » Et loco huius: Quia ad mala proni estis, continuit sermonem suum ad vitandam manifestam vituperationem, et dixit: *Quia non potestis audire *sermonem meum.* Deinde ostendens quare non possint, addit: (v. 44) *Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stat, quia veritas non est in eo.* Quia, inquit, fecistis vobis patrem diabolum per affinitatem operum vestrorum, gaudentes in eo, ideo studetis facere quae placent ei, et quaeritis me occidere: hoc est enim opus eius, qui ab initio transgrediendo praeceptum occidit Adam et per eum omnes homines venturos. Propterea affinitas vestra cum illo non permittit vobis ut possitis intellegere verba mea, quia pronus est ad mendacium. Quanta est enim vestra parentela cum eo, tanta est aversio vestra a veritate. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius.* Cum, inquit, loquitur mendacium, Satanas scilicet, et verba similia loquitur, non alienis utitur sed propriis; ipse enim et pater est mendacii, quippe qui illud genuerit, et primus illud usurpaverit loquendo ad Adam, quia dixit eis alia pro aliis. His ergo: *Mendax est et pater eius,* significat: *Mendax est et pater mendacii;* id est: genuit mendacium, quia primus protulit illud et illo usus est.

v. 45) *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.* Quia, inquit, delectamini mendacio, veritatem a me dictam non accipitis. Haec autem coniunxit illis: (v. 43) *Quare loquelam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem* p. 177. *meum.* Postquam enim * dixit causam propter quam non possunt, ita ut in illorum voluntate et non in natura videatur illud: *non potestis;* et quia proni ad mala non accipiunt veritatem verborum eius, et ideo neque intellegunt ea, tamquam conclusionem vituperationis suae dixit: *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.*

Et ne crederetur mera allusio illud quod dixit, scilicet illos propter suam inclinationem ad Satanam non posse audire doctrinam eius, ideo per sequentia confirmat veritatem verborum suorum. Dicit enim: (v. 46) *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nulla est vobis ratio me accusandi. Numquid potestis vituperare quae a me sunt facta, ita ut reputemini merito illa velle? Sed nonne sunt opera mirabilia? Et verba mea ubique gloriam Patris intendunt.

Cum non responderent, quia nihil habebant dicendum, addit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Si, inquit, nihil potestis mihi obicere, si vera sunt quae dixi, quare non creditis verbis meis? Manifestum est ergo vos odisse veritatem, quia diligitis mendacium. Hoc clare demonstrato, vituperatione contra eos utitur. Et quod iam antea eis obiecit per verba supra citata, scilicet illos propterea non posse audire verba eius quod ad Satanam essent inclinati, hoc idem iterum post demonstrationem, prout ex ipsa quaestione apparet, dicit eis: (v. 47) *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Manifesto igitur omnis, qui familiaris est Deo, oboedit verbis eius. Vos autem non p. 178. accipitis * quae dicuntur, quia non habetis communionem cum Deo. Cum nihil habeatis quod vituperetis, — veritas enim sunt verba relata, — evidens est vos, ob amorem vestrum erga malum, me velle occidere, qui sum vobis praeco veritatis.

Iudaei igitur, nihil reprehensibile invenientes in verbis istis, conversi sunt ad iniuriam; Samaritanum vocabant eum, et dicebant ei: (v. 48) *Daemonium habes.* Dominus noster submisse ad illud respondet, simulque probat responsum suum,

dicens: (v. 49) *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonoratis me.* Semper, inquit, omnia in honorem Patris facio, prout apparet ex iis quae pluries dixi: utrum hoc sit opus daemoniaci, vestri est iudicare. Pro honore autem Patris, hanc iniuriam tamquam mercedem a vobis recipio; hoc ex ipsis verbis vestris apparet. Videte igitur ne per illa quae contra me vociferatis, inveniamini contradicere Patris honori. (v. 50) *Ego autem non quaero gloriam meam, est qui quaerat et iudicet.* Sed, inquit, ego non vos reprehendo propter iniuriam illam; nam iudicat ea ille quem ego quidem honoro, dum vos non erubescitis persequi me.

Postquam dixit haud impune illis futuram esse incredulitatem eorum ordinate addit: (v. 51) *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Verumtamen, inquit, credentibus haud erit absque mercede haec eorum fides; semper enim propter suum erga me amorem fruentur vita aeterna.

Quo audito, dicunt ei Iudaei: (v. 52) *Nunc cognovimus quia vere * habes daemonium. Abraham mortuus est, et prophetae;* p. 179. *et tu dicis* futurum esse, ut et credentes in te reddas immortales; tu ergo videris temetipsum super istos exaltare.

Dicit eis Iesus: (v. 54) *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis: Deus noster est*; (v. 55) *et non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo.* Sicut verbis supra relatis dicebat: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* [1]; quamvis alio loco dixerit: *Et si testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum* [2]; et ipse de seipso dicebat, quod illi discutientes obiciebant ei; ita etiam hic. Quia nempe increpabant eum, quod se exaltaret supra Abraham et prophetas, et eum accusantes dicebant: *Quem teipsum facis?* apte respondit eis: Si ego loquerer de meipso, iure non crederetis mihi. Hoc enim: *Si ego glorifico meipsum,* manifesto non dicit ad significandum: Si ego facio meipsum gloriosum; sed: Si ego

[1] Supra, v, 31. — [2] Supra, VIII, 14.

loquor de gloria mea, et de iis quae mea sunt, merito forsitan non crederetis, eo quod ego perhiberem testimonium. Sed Pater meus manifestavit gloriam meam, testimonium perhibendo de me; prout supra dixit: *Pater qui misit me, ipse testimonium perhibet de me*[1]. Vos ergo dicitis quia Dei estis; sed scientiam eius et societatem cum eo non habetis, quia non oboeditis verbis eius. *Ego vero scio eum*, atque facio quod convenit eius testimonio de me. Etiam si dico vobis aliquid
* p. 180. magnum * de meipso, nihil tamen dico contrarium praecedenti Patris testimonio de me. Hoc intendit significare ubi dicit: *Et sermonem eius servo. Igitur mendax forem sicut vos, si dicerem: Non cognosco eum.*

Postquam dixit: Si ego loquor de meipso, secundum testimonium Patris mei [loquor]; quod facio, secundum voluntatem eius testimonii apparet me operari; (post illa, inquam,) addit dicens: (v. 56) *Abraham, pater vester, exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Igitur, inquit, cum exhibitum sit de me testimonium Patris, audite etiam de me quae illi conformia sunt; me nempe tanto maiorem esse Abrahamo, ut etiam desideraret et exoptaret videre tempus hoc, quando per meam passionem restauravero mundum; atque in desiderio suo quantum licuit, vidit hoc et gavisus est; scilicet, quando immolando filium suum pandit intentionem suam, et recepit a Deo revelationem, ita ut sciret quae essent ventura: quatenus sicut consensit dare filium suum in victimam propter Deum, ita et Deus daturus esset Unigenitum suum pro salute mundi.

(v. 57) *Iudaei autem dicebant ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* (v. 58) *Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Et hoc adhuc minimum est, utpote infra eius divinam naturam, quae non tantum est ante omnes creaturas, sed immensa et infinita est super illas, tamquam causa illarum exsistentiae, quam ipse dedit illis.

Iudaei ergo verbum istud non sufferentes (v. 59), *tulerunt lapides ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se et exivit*

[1] VIII, 16.

de templo, transiens per medios eos, et ita profectus est; quasi virtute divina occlusi essent oculi eorum, ne scire possent * quomodo egressus sit de medio eorum.

Postquam inde exivit, operatus est miraculum caeci nati * p. 181. ut confirmaret verba sua. Miraculum enim sequens dicta illa confirmabat, et propterea (addit) evangelista: *Vidit hominem caecum a nativitate*[1], ut ostendat eum, statim atque egressus est de medio Iudaeorum, miraculum caeci operatum esse. Hoc autem miraculum coniunctum est alii miraculo; nam volens latuit et profectus est inter videntes, occlusis illorum oculis; et simili modo volens illi, qui natura sua non habebat oculos videndi capaces, miraculo dedit potestatem videndi. — Explicit liber tertius.

LIBER QUARTUS.

[CAP. IX, 1]. — *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate;* (v. 2) *et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?* Inde apparet hoc consuetum fuisse discipulis, ut circa omnia sibi occurentia, quaestiones tales submitterent Domino, quibus possent proficere in doctrina religiosa. Nam quia omnia reliquerunt et totaliter sese commiserunt Domino, ut ab eo addiscerent pietatem et optimos mores, laudanda sollicitudine ex sibi occurrentibus occasionem sumebant, ut ei tales quaestiones submitterent. Quapropter et heic caecum natum videntes qui, priusquam posset peccare, contraxit hoc damnum, et cui iam in utero * accidit hic defectus oculorum, de religione * p. 182. cogitantes turbati sunt modo humano circa hoc factum. Causam quidem aequam huius infortunii haberi, bene credebant, neque immerito evenisse istam adversitatem; quia sciebant Deum humanas res gubernare. Propter imbecillitatem humanam vero nihil amplius cogitantes, soli peccato sive parentum eius, sive ipsius caeci rationem infortunii tribuebant; non quod laesus fuerit, quia iam peccaverat, — quomodo enim

[1] Cap. IX, 1.

nondum natus peccare potuisset? — sed peccato committendo, Deus, iuxta praevisionem suam, per hunc defectum cohibuit eum. Iuste igitur et religiose censebant, peccata hominum esse causam omnium malorum. Sed cum propter humanam imbecillitatem nihil magis a semetipsis possent intellegere, credebant huic defectui non aliam tribuendam esse causam, quam aut caecum ipsum aut eius parentes; quasi propter horum peccatum filius receperit hanc punitionem; aut quasi fuisset causa ipsius caeci, qui ob peccata futura receperit hanc vindictam.

Cum ergo talem opinionem circa caecum haberent discipuli, egregie Dominus, sensu suo ipsis aptato, ad eorum verba respondit. Cum enim interrogassent eum: *Quis peccavit hic aut parentes eius?* — id est: quare, propter peccata parentum eius, an propter peccatum ipsius proprium accidit hoc ei? quasi non alia praeter istam assignanda foret causa, — ideo docet eos Dominus multas esse causas omnibus istis eventibus, * et secretas quidem atque inexplicabiles. Unde saepe lamentamur de eventibus, quorum causas ignoramus, postea vero addiscemus nihil frustra aut in vanum fieri. Haec cognitio in mundo futuro dabitur nobis, quia tunc revelabuntur nobis quae nunc nos latent.

* p. 183.

Propterea dixit eis: (v. 3) *Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Ex hoc enim eventu confirmavit et alia ita esse. Sanatio nempe caeco multum profuit, quia liberatio ab hoc defectu fuit ei causa cognitionis Unigeniti, et cum oculis suis revera recepit doctrinam religiosam; insuper alii multi per prodigium, quod ipsi contigit, admirati sunt potentiam Domini nostri, et fidem in eum maxime honorarunt. Hoc autem ita eventurum esse, atque eius caecitatem causam esse omnium illorum bonorum, manifesto omnes homines ante eventum latebat. Itaque per hoc factum confirmavit cetera. Quemadmodum nempe per hoc quod huic contigit, futurum erat ut aliquid magnum et mirabile eveniret iuxta providentiam Dei, — hoc autem ante eventum latebat omnes; ita etiam quoad ceteros eventus, oportet intellegamus eos habere causas secretas et inscrutabiles; postea vero, elapso tempore, revelabuntur in adiutorium eorum qui nesciunt illa.

Hoc ergo: *Non peccavit hic, nec parentes eius*, non tamquam definiendo dictum oportet intellegi, sed ad horam illud praetermisit; sicut nos etiam solemus multa dicta praetermittere secundum contextum tamquam argumentum accuratum eorum quae petuntur. * Non enim intendit ostendere caecum parentes eius esse sine peccato; quoniam nec discipuli petierunt, an peccata quaedam commiserint, sed quare illud ei acciderit, utrum propter peccata ipsius, an propter peccata parentum eius. Atque huic respondet Dominus noster. Volens igitur eos docere, alias haberi causas secretas iis quae, Deo permittente, accidunt nobis, propterea dixit eis: *Neque ipse peccavit, neque parentes eius;* id est, quia hanc solam causam vos putatis haberi, ponamus nullam ex illis, quas vos dicitis, revera esse causam, et neque hunc peccasse neque parentes eius. Sed ille, qui omnia operatur per suam providentiam, permisit hunc defectum accidere, ut manifestetur eius virtus. Considerate ergo num hoc videatur ex his eventibus. Si praeventa fuisset ista caecitas, caecus non fuisset natus; quod si ita non fuisset natus, sanationem nunc neque recepisset; iterum si haec non contigisset, latuisset magnitudo huius prodigii per quod caecus ad cognoscendum me ascendit. Ceteri vero, qui per eum intellexerunt virtutem meam, in posterum iam non possunt dubitare de verbis meis, atque ex fide in me magnum assequentur lucrum. Similes igitur causas oportet intellegatis et quoad eventus vobis inscrutabiles.

Verba: *ut manifestentur opera Dei in illo,* secundum consuetum stilum Scripturae dicuntur; scilicet, non propterea caecus factus est, ut videantur in eo opera (Dei); sed defectus naturaliter accidit. Permissio autem huius defectus ex parte Dei fuit in utilitatem magnam, ut scilicet eius occasione videatur miraculum. Consueta est haec expressio in libris divinis, tam in Vetere quam in Novo Testamento, verbi gratia ubi dicitur: *Ut iustus inveniaris in sermonibus tuis*[1]. Non propterea quidem peccabant * peccatores; sed ipsis peccantibus, Deus, quia omnia secundum suam Providentiam iuste agebat, iustus videbatur puniendo peccatores. Frequens est ergo ille

* p. 185.

[1] *Ps.* L, 6.

usus in Scripturis; ac verba multa [non] sunt nobis necessaria, ut omnes nobiscum consentiant.

Itaque postquam respondit discipulis, et non tantum quaestionem eorum solvit, sed etiam verbis suis doctrinam tradidit, responso ad discipulos adiunxit verba, quae omnino erant dicenda cum sanaturus esset caecum: (v. 4) *Me oportet*, inquit, *operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* Quia variis modis contra patrata miracula ostendebant Iudaei ingratum suum animum, ut ex antecedentibus novimus, praecipue vero quando sabbato sanabat, non tantum non admirabantur miraculum, sed tamquam iniquum et impium persequebantur eum; sabbatum autem erat die qua caecum a nativitate erat sanaturus; unde et Pharisaei, qui miraculo contradicere non poterant, ad damnandum adhuc miraculum dicunt: *Non est hic homo a Deo, quia sabbatum non custodit* [1]. Bene illud praeveniendo dixit: *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Scio, inquit, futurum esse ut Pharisaei quaerelam moveant contra opus patrandum; seposito miraculo, ad diem tantum attendent et propterea conquerentur, vocantes me impium et Legis praevaricatorem tamquam sabbatum solventem. Hanc causam allegabunt, ut videantur iusta causa me persequi. Sed ipsi dicant et faciant quod volunt; me autem *mittentis* opera facere oportet, operando * opera eius. Valde simile illud est, quoad sensum, huic: *Pater meus usque modo operatur et ego operor* [2], quod responderat Iesus ad Iudaeos accusantes eum, quod in die sabbati paralyticum sanasset. Supra enim ostendit communia esse opera; et propterea etiam ipse oportet faciat quae facit Pater. Heic iterum dicit debere facere opera eius qui misit ipsum, quatenus opera, ab ipso facta, etiam Patris sunt. Igitur, inquit, etiamsi illi centies milies murmurarent adversus me, ego debebam illa operari dum tempus est operandi; erit vero tempus quo me ab his operibus desistere oportebit. Quemadmodum enim apud homines discernuntur dies et nox, et dies tempus est labori opportunum, nox vero quieti, dum nihil operari potest homo; ita et mihi tempus est miraculis destinatum

* p. 186.

[1] Infra, v. 16. — [2] IOH., V, 17.

usque ad passionem meam, quo oportet me operari quae conveniunt voluntati Patris, et manifestare meam dignitatem qualis sim. Post passionem vero et crucem ab illis omnibus desistere necesse est, cum terrae conversationem reliquerim et hominum commercium. Igitur usque ad illam horam non debeo desistere a miraculis patrandis, et inutile vobis est ut me propter signa persequamini. Haud enim potestis exsequi quod vultis, priusquam venerit tempus quo ego, adimpletis operibus faciendis, libere accipiam passionem; hic est finis temporis, in quo facio signa inter homines.

Deinde quia per figuram diem vocat tempus suae praesentiae, noctem vero tempus sequens passionem suam et mortem, clare haec manifestat dicens: (v. 5) *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi:* id est * quemadmodum sol, diem perficiendo, operandi hominibus occasionem praebet, sic et ego sum in hoc mundo, quia per praesentiam meam quamdiu sum in mundo tamquam dies illumino eum. Haec ante miraculum faciendum dixit, ostenditque se murmurantes videntem, non a miraculis desistere, facta quae Patri placent fieri, nihil illis ob hoc ipsum persequi prodesse, cum nihil pati ante statutum tempus valeret, sed tunc esset passurus cum venerit tempus quod sibi praefixit. Hoc ergo significare vult per verba illa, prout fuse diximus pro intellegentia illorum qui ad hunc librum accedunt.

* p. 187.

Tunc accinxit se ad miraculum narrandum, et propterea addit evangelista: (v. 6) *Haec cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo*, ut clare ostendat verba, ante miraculum dicta, praeparatoria esse ipsius miraculi patrandi. Formavit igitur lutum, et linivit super oculos caeci; neque statim dedit ei sanos oculos, sed iussit eum ire ad piscinam Siloe, ut, cum ibi lotus fuerit, aperiantur oculi eius atque videat. Sicut enim verbis suis frequenter indicavit magnitudinem suam, ita et operibus, id est, modo [1] quo facta sunt. Luto ergo dedit ei visum, ut qui ex nativitate non recepit oculos, eosdem reciperet per (lutum) illud, ex quo in principio tota natura humana

[1] Iuxta contextam orationem proponimus legendum ita: *modo quo...*, dum codices syriaci exhibent: *tempore* quo facta sunt

usus in Scripturis; ac verba multa [non] sunt nobis necessaria, ut omnes nobiscum consentiant.

Itaque postquam respondit discipulis, et non tantum quaestionem eorum solvit, sed etiam verbis suis doctrinam tradidit, responso ad discipulos adiunxit verba, quae omnino erant dicenda cum sanaturus esset caecum: (v. 4) *Me oportet*, inquit, *operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* Quia variis modis contra patrata miracula ostendebant Iudaei ingratum suum animum, ut ex antecedentibus novimus, praecipue vero quando sabbato sanabat, non tantum non admirabantur miraculum, sed tamquam iniquum et impium persequebantur eum; sabbatum autem erat die qua caecum a nativitate erat sanaturus; unde et Pharisaei, qui miraculo contradicere non poterant, ad damnandum adhuc miraculum dicunt: *Non est hic homo a Deo, quia sabbatum non custodit*[1]. Bene illud praeveniendo dixit: *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Scio, inquit, futurum esse ut Pharisaei quaerelam moveant contra opus patrandum; seposito miraculo, ad diem tantum attendent et propterea conquerentur, vocantes me impium et Legis praevaricatorem tamquam sabbatum solventem. Hanc causam allegabunt, ut videantur iusta causa me persequi. Sed ipsi dicant et faciant quod volunt; me autem *mittentis* opera facere oportet, operando * opera eius. Valde simile illud est, quoad sensum, huic: *Pater meus usque modo operatur et ego operor*[2], quod responderat Iesus ad Iudaeos accusantes eum, quod in die sabbati paralyticum sanasset. Supra enim ostendit communia esse opera; et propterea etiam ipse oportet faciat quae facit Pater. Heic iterum dicit debere facere opera eius qui misit ipsum, quatenus opera, ab ipso facta, etiam Patris sunt. Igitur, inquit, etiamsi illi centies milies murmurarent adversus me, ego debebam illa operari dum tempus est operandi; erit vero tempus quo me ab his operibus desistere oportebit. Quemadmodum enim apud homines discernuntur dies et nox, et dies tempus est labori opportunum, nox vero quieti, dum nihil operari potest homo; ita et mihi tempus est miraculis destinatum

* p. 186.

[1] Infra, v. 16. — [2] Ioh., v, 17.

usque ad passionem meam, quo oportet me operari quae conveniunt voluntati Patris, et manifestare meam dignitatem qualis sim. Post passionem vero et crucem ab illis omnibus desistere necesse est, cum terrae conversationem reliquerim et hominum commercium. Igitur usque ad illam horam non debeo desistere a miraculis patrandis, et inutile vobis est ut me propter signa persequamini. Haud enim potestis exsequi quod vultis, priusquam venerit tempus quo ego, adimpletis operibus faciendis, libere accipiam passionem; hic est finis temporis, in quo facio signa inter homines.

Deinde quia per figuram diem vocat tempus suae praesentiae, noctem vero tempus sequens passionem suam et mortem, clare haec manifestat dicens: (v. 5) *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi:* id est * quemadmodum sol, diem perficiendo, operandi hominibus occasionem praebet, sic et ego sum in hoc mundo, quia per praesentiam meam quamdiu sum in mundo tamquam dies illumino eum. Haec ante miraculum faciendum dixit, ostenditque se murmurantes videntem, non a miraculis desistere, facta quae Patri placent fieri, nihil illis ob hoc ipsum persequi prodesse, cum nihil pati ante statutum tempus valeret, sed tunc esset passurus cum venerit tempus quod sibi praefixit. Hoc ergo significare vult per verba illa, prout fuse diximus pro intellegentia illorum qui ad hunc librum accedunt.

* p. 187.

Tunc accinxit se ad miraculum narrandum, et propterea addit evangelista: (v. 6) *Haec cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo*, ut clare ostendat verba, ante miraculum dicta, praeparatoria esse ipsius miraculi patrandi. Formavit igitur lutum, et linivit super oculos caeci; neque statim dedit ei sanos oculos, sed iussit eum ire ad piscinam Siloe, ut, cum ibi lotus fuerit, aperiantur oculi eius atque videat. Sicut enim verbis suis frequenter indicavit magnitudinem suam, ita et operibus, id est, modo[1] quo facta sunt. Luto ergo dedit ei visum, ut qui ex nativitate non recepit oculos, eosdem reciperet per (lutum) illud, ex quo in principio tota natura humana

[1] Iuxta contextam orationem proponimus legendum ita: *modo quo...*, dum codices syriaci exhibent: *tempore* quo facta sunt

formata est. Per hoc autem manifestabat se esse Creatorem hominum. Supplendo enim quod in formatione deerat, et in negotio quod Creator ab initio naturae constituit, * clare ostendebat se esse factorem rei, aequalem in virtute operativa cum Creatore hominum. Non sanavit illum praesentem, sed iussit eum ire ac lavari; et nonnisi postquam lotus est, tunc sanatus est; ita providentia sua agebat ne ab ullo celaretur miraculum patratum. Sicut iussit paralyticum portare lectum suum in die quo non licebat hoc facere [1], ut omnes, conquerentes legem esse violatam occasione huius miraculi, circa magnitudinem portenti instruantur; ita et hunc caecum, qui longe erat a Siloe, iussit eo ire lavandum. Forsitan etiam universa turba, quae erat prope Dominum, reliquit eum hoc momento et secuta est caecum, desiderans videre oculis suis miraculum quod erat eventurum. Et cum inter vicos et populum civitatis caecus procederet, illis sollicite sequentibus eum, omnes qui haec videbant conversi ad eos petebant quaenam esset causa eorum festinationis, quare caecus praecederet et tanta multitudo sequeretur eum. Ipsi vero, re diligentissime audita, festinabant et ipsi ut viderent quid eventurum esset. Itaque aliis adiunctis, crescebat turba sequens illum. Hinc ergo factum est, ut omnes viderent quomodo caecus veniens ad Siloe se laverit et miraculo visum receperit.

* p. 188.

Cum igitur eo adveniens se lavasset, gratiam recepit. Vicini autem eius et qui viderant eum mendicantem, agnoscebant eum; sed non erat omnibus eadem opinio circa eum. Alii enim dicebant: Hic est caecus. Alii autem, propter miram rem quae contigit ei, dicebant: (v. 9) *Non est ille; sed * alius quidam ei similis. Ipse autem caecus dicebat: Ego sum.* Non quod reipsa cogeretur sese manifestare; sed ardenter cupiebat proclamare miraculum quod sibi contigerat. Cum ergo dixisset se esse illum caecum mendicum, quaerebant ab eo illi qui non viderant, quid ei contigerit et quomodo visum obtinuerit; non enim qui viderant quaerebant ab eo quod iam sciebant. Ipse autem explicabat quomodo hoc factum sit, et revelabat quis sanaverit ipsum, dicens: (v. 11) *Vir, qui dicitur Iesus, lutum fecit, et*

* p. 189.

[1] Supra, cap. V.

unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. Si ergo quaeritis modum quo obtinui visum, dixi vobis; sin vero quaeritis scire quisnam hoc fecerit, respondeo: Vir quidam nomine Iesus hoc fecit. Cum haec audiissent, petebant: (v. 12) *Ubi est. Ipse autem dicebat: Nescio.* Non enim cognoscebat eum, cum nondum oculis suis vidisset eum. Sumpserunt ergo eum atque duxerunt ad Pharisaeos. Subiungit deinde ipse evangelista: (v. 14) *Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius.* Interrogabant ideo et Pharisaei quomodo viderit. Ipse autem ratus illos scire quis sanaverit ipsum, circa modum tantum sanationis suae respondebat; quod iam ipsis notum erat ab illis qui adduxerant eum. Audito hoc responso caeci, iterum opinionum divisio orta est inter Pharisaeos. Quidam dicebant: (v. 16) *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Alii autem dicebant: Non potest homo peccatis subditus talia opera facere. Deinde, cum inter se contenderent, * ad caecum iterum se convertunt, tamquam controversiae suae arbitrum selegentes, illique dicunt: (v. 17) *Tu quid dicis de illo, qui aperuit tibi oculos tuos?* Estne admirabilis propter opus patratum? an iniquus ob violatum sabbatum? Hoc ergo: *qui aperuit tibi oculos,* (id est: quia tibi aperuit oculos) [1], quid dicis tu, seu quaenam est opinio tua de illo? Unde ad inquisita sapienter respondens caecus dixit: *Quia propheta est,* seu: Talis est mihi de illo existimatio, et hoc propter opus patratum opinor esse dicendum de eo.

* p. 190.

Quando igitur viderunt iam ipsum miraculum perhibere testimonium de potentia sanantis, ipsumque caecum sanatum manifeste confiteri adiutorium sibi collatum atque proclamare magnitudinem adiutoris sui, inceperunt dubitare utrum caecus ille fuerit qui nunc sanatus est, an quidam alius; ac propterea coacti sunt vocare parentes eius. Quibus vocatis, petierunt num ille esset qui ex eis caecus natus est; atque iterum quaestioni suae addiderunt: (v. 19) *Quomodo nunc videt?*

[1] Voces uncinis inclusae desunt in cod. B. Si autem conferatur textus noster cum fragmento graeco edito (*Patr. gr.*, t. LXVI, col. 755) videtur hic haberi lacuna.

Exspectabant enim fore ut negarent illum esse filium suum, si ancipites quoad responsum haererent, nescientes quomodo sanatus sit. Ipsi vero magna cum prudentia responderunt, non negantes illum esse filium suum, et simul confitentes illum caecum natum esse. Quomodo autem sanatus sit, dicebant, aut quis eum curaverit, nescimus. Atque addebant: Ipsum debetis interrogare, quia aetatem habet, et pro seipso potest respondere. Evangelista vero dicit illos hoc etiam respondisse propter timorem Iudaeorum; (v. 22) *iam enim * statuerant Iudaei, ut si quis confiteretur eum esse Christum, ex synagoga eicerent eum.* Hinc manifestum est, neque parentes eius latuisse quis curaverit eum et quomodo sanatus sit. Sed ob timorem dixerunt: *Ipse respondeat de seipso;* ne aperte dicerent ipsi quae Iudaeis displicerent.

* p. 191.

Vocaverunt rursum hominem qui prius erat caecus, et desinentes eum amplius interrogare, quia sciebant eum aperte dicere quomodo sanatus fuerit, dicebant ei: (v. 24) *Da gloriam Deo, nos enim scimus quia hic homo peccator est.* Ideo quia iam non poterant negare factum ipsum, dicebant ei: Tamquam Dei beneficium considera quod tibi contigit. Illum vero esse peccatorem credas oportet. Nos enim scimus illum talem esse. Qui autem sanatus est prudenter respondit dicens: (v. 25) *Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video.* Nolo, inquit, declarare quod nescio; neque tacere possum aut abscondere quod scio. Utrum revera ille sit prout vos dicitis, nescio; non enim compertum habeo illum esse peccatorem. Caecus eram, et praeter spem visum recepi; hoc apprime scio. Num hoc facere possit peccator, vestrum est iudicare, quia vos hoc affirmatis. Valde prudenter fecit responsum, mitigando sermonem suum, ne videretur aperte litigare adversus eos qui interrogabant ipsum; silentio autem suo ostendit illum non potuisse hoc facere, si revera peccator esset.

Dixerunt ei iterum: (v. 26) *Quomodo aperuit tibi oculos?* Ipse vero exinde * manifeste usus est increpatione adversus eos, deridens ac contumeliis afficiens eos, et dixit: (v. 27) *Dixi vobis et non audistis. Quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* Haec ergo verba: *Dixi*

* p. 192.

vobis et non audistis, manifesta erant increpatio, quod veritatem non acciperent. Illa autem: *Numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* verba sunt deridentis eos et contemnentis.

v. 28) Pharisaei igitur, quia non placuit ipsis sermo eius, maledicebant ei dicentes: *Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus.* (v. 29) *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.* At neque illud sciebant, haud enim aderant dum Deus loquebatur Moysi. Propterea respondit qui prius fuerat caecus, vehementer deridens eos et personam Domini confirmans, dicens: (v. 30) *In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos.* (v. 31) *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* (v. 32) *A saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Propterea, inquit, admirandus est tamquam excelsior cogitatione humana. Dum vos nescitis undenam sit, miraculum erga me patratum manifeste probat eius virtutem. Tunc enim necessarium foret testimonium aliorum, vobis nescientibus eum, si nullum haberetur indicium virtutis eius. Sin autem miracula illa ostendunt virum illum * esse magnum, et vos tamen nescitis quisnam sit et undenam sit; manifestum est tam ex magnitudine miraculorum quam ex vestra inscitia, illum superare captum humanum. Neque eumdem vocari posse peccatorem, et hoc patet ex illis factis. Siquidem petitiones peccatorum non exaudit Deus, sed solet audire vocem illorum qui mores exhibent honestos et fideliter exsequuntur voluntatem eius. Insuper quod contigit non est aliquid exiguum, neque illius qui propter communem virtutem exaudiatur a Deo; sanavit enim caecum natum, quod hucusque numquam audivimus factum esse, ne a Moyse quidem, quem vos admiramini. Evidens est ergo illum hoc non potuisse facere, nisi omnia secundum Dei voluntatem ageret. Quapropter non solum debemus admirari consilium viri illius sanati, quippe qui amorem magnum ostenderit erga suum adiutorem et in se probationem susceperit, potius quam dimitteret fiduciam quae illi erat debita; sed et sapientia eius admiranda est, quomodo nempe undique collegerit argumenta contra eos: ex eo quod dicebant Pharisaei « non cognoscimus eum », et tamen

* p. 193.

ceu magnum introducunt eum; ex miraculo patrato; ex consilio Dei qui non exaudit peccatores sed suos cultores; ex eo quod numquam, nisi nunc primum, tale miraculum ab homine factum est. Ceu magna enim nobis videntur, sive mala sive bona, quae prima vice audimus fieri ab aliquo.

Pharisaei, haud ferentes eius dicendi audaciam erga ipsos, et cum non possent respondere quidquam contra eius vituperationes, — nam * valde acute et sapienter erat locutus ad eos, — propterea ad iniurias confugerunt dicentes: (v. 34) *In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.* Attamen nec propterea afflictus est, sed gaudebat quod propter suum adiutorem (foras) eiectus sit. Iesus igitur audiens illum ab eis esse expulsum, — audivit autem quia multi dicebant ei quae contingebant, et quia multa turba aderat factis istis, — videns illum ipsis actionibus suis dignum, voluit ei adiungere scientiam perfectam. (v. 35) *Et cum invenisset eum, dixit ei: Credisne tu in Filium Dei?* Ipse vero, agnoscens eum voce, nam nondum viderat eum, dicit: (v. 36) *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Merito aestimabat illum, qui sibi praeter exspectationem visum dederat, etiam ostendere posse Filium Dei. Dominus noster dixit ei: (v. 37) *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* Semetipsum indicat verbis suis, non dicens « Ego sum », sed *qui loquitur tecum.* Eodem modo egit erga Samaritanam. Ibi tamen, quia solus loquebatur cum illa ut sola posset credere, non recusavit clare ei dicere: *Ego sum qui loquor tecum* [1]. Heic vero, quia etiam multi increduli aderant, oblique manifestavit seipsum esse illum. At ipse (caecus sanatus), statim atque audivit, adoravit eum, ut facto proderet fidem suam.

* p. 194.

Hinc iterum incepit Dominus noster proponere doctrinam communem, quam tradere solet post signa, quando magnitudo factorum confirmat verba. (v. 39) *Et dixit: In iudicium mundi huius ego veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.* Et alio loco hoc dixit: *Non misit Deus Filium suum ut iudicet * mundum* [2]. (Hic vero): *In iudicium mundi huius ego veni.* Sed supra de scopo adventus sui loquebatur;

* p. 195.

[1] Ioh., iv, 26. — [2] Supra, iii, 17.

scopus adventus eius hic est, ut omnes homines vivant. Hic vero de exitu rerum loquitur. Nam quamvis haec sit voluntas eius, ut salvet omnes homines; attamen increduli omnino puniendi sunt propter suam malam conscientiam. Hic ergo quod consequitur ex factis designat. Prout apparet, inquit, ad probandos homines veni, ut sciatur vere quinam sint caeci et quinam videntes. Ecce enim qui credebatur esse caecus, bis recepit oculos ad videndum: oculos scilicet corporales recepit, et ad perfectionem animae recepit doctrinam religiosam. Illi vero qui putant videre oculis corporis, et quibus est commissum ut aliis praecepta legis explicent, apparent caeci quoad utrumque: quia veritatem non accipiunt, et quia non credunt operibus quae viderunt oculis suis.

Quibus auditis, dicunt ei Pharisaei: (v. 40) *Numquid et nos caeci sumus?* Quemadmodum superius Domino de libertate a peccatis loquenti respondebant: *Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam* [1], putantes eum de corporali servitute disserere; similiter et hic Domino illis spiritualem caecitatem exprobrante, ipsi tamquam qui corporis oculis optime videant, de iisdem loquebantur. (v. 41) *Propterea peccatum vestrum manet.* Inde aggravavit peccatum eorum unde ipsi gloriabantur. Quid, inquit, dicitis vos videre? Melius profecto vobis esset caecis; nam hinc vobis incredulis venia saltem aliqua superesset. Nunc autem cum videatis, atque oculis vestris eum qui quondum caecus erat, modo videntem intueamini, neque factis credatis, nullam habentes excusationem, manifestam condemnationem incurritis * propter incredulitatem vestram.

* p. 196.

[Cap. X]. — Postquam haec eis respondit, incipit figurate eis dicere magisterii dignitatem magis sibi pertinere quam ipsis. Quia enim tamquam scribae et legis doctores et seniores populi, uno verbo tamquam viri potestatem in hoc negotio habentes, expulerunt caecum, ipse vero recepit eum, vult ipsis factis ostendere sibi pertinere hanc potestatem eiciendi et recipiendi, minime vero illis. Haec autem dicit illis in figura,

[1] Supra, viii, 33.

ne videatur manifesta ostentatione sibi arripere dignitatem doctorum. At quia evidens est haec a Domino nostro figurate esse dicta, omnino oportet nos totam allegoriam referre; postea enarrabimus eius explicationem pro intellegentia legentium. Dicit igitur sic:

v. 1) *Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* (v. 2) *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* (v. 3) *Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas.* (v. 4) *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* (v. 5) *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* (v. 6) *Hoc proverbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.*

* p. 197. Haec est allegoria Domini nostri, * cuius vim non intellexerunt Iudaei. Ne autem et nobis, sicut Iudaeis, occulta sint haec verba, accingimur, Deo auxiliante, ad explicandum sensum huius allegoriae pro iis qui ad hunc librum accedunt. Hoc ergo significare intendit Dominus: Quemadmodum ad ovile ovium fur aliunde ascendit, ut abscondi possit et furari; dum pastor non quaerit alium ascensum, quia potest per portam intrare, sed consueto ingressu utens ipse ducit oves ad pascua, et oves eum sequuntur cognoscentes pastorem suum, fugiunt vero ab extraneis quorum vocem non agnoscunt; ita et nunc...

Ovile ovium supponatur esse doctrina Legis, oves vero qui huic doctrinae subditi sunt, quique semel promiserunt secundum praecepta eius conversari. Ostiarius autem huius ovilis est beatus Moyses, qui ovile hoc constitutis praeceptis Legis stabilivit, ut ibi possint securi vivere qui secundum eius voluntatem vitam ducunt. Pastor autem ovium est, quisquis reipsa digne doctorali munere insignitus, legitimo ingressu utitur; id est, qui omni diligentia conversatur secundum doctrinam Legis, et ita ovile ingreditur prout decet. Tunc utique ceteros, ovium instar, ad doctrinae pascua educit, ostendens escam verborum, quibus vescantur oportet primo et quibus postea; [ostendens etiam] quaenam sit verborum vis, quomodo intellegendae sint Scripturae, et a quanam debeant declinare doc-

trina, quam fraudulenter forte eis tradent alii in perditionem ovium. Cum * talis itaque sit pastor; fur est et latro qui contrarium agit, qui non utitur legitimo ingressu, et qui primo diligentiam exhibet pro praeceptis Legis ac deinde docet alios sibi commissos, sed frustra contendit tenere ingressum et magisterii dignitatem, quamvis nihil faciat ex requisitis ad titulum honoris sui. Temere autem et quomodocumque facit quae nocent ovibus. Nam qui primo non exercet seipsum in praeceptis Legis, quomodo posset et aliis prodesse? Inquiramus igitur, dicit Dominus, si vos vultis, inter me et vos, quis legitimo utatur ingressu; quis diligenter faciat praecepta Legis; cui Moyses, ovilis ostiarius, reipsa aperiat ianuam, quem ob adimpleta opera laudet et dignum aestimet, atque declaret esse pastorem propter ea quae facit.

Si Moyses igitur in libro suo laudet illum qui adimplet praecepta Legis, praeceptorum certe adimpletio penes me invenitur et non penes vos. Ergo non est apud vos magisterii dignitas; neque ea, quae ovibus utilia sunt, operamini, sed commodum tantum proprium intenditis; nec ideo potestis cum auctoritate expellere quemquam, ita ut nocumentum patiantur qui a vobis fuerint expulsi. Ego vero iure ac merito pastor nominor, quia primo accurate observavi legem, et usus sum ingressu legitimo, quem ipse ostiarius ostendit mihi, ac demum diligenter feci omnia quae pro ovium utilitate facienda sunt. Propterea si ego reicio aliquem a veritate, cadit qui reiectus est. Quod si recipiam expulsum aliquem, non est extra veritatem quia * a vobis est expulsus, sed intra legem timoris Dei, quia a me receptus est. Proposita hac parabola a Domino nostro, nihil e dictis intellexerunt Iudaei. Haec autem in parabola dicere voluit Dominus, ne videretur superbus ita se iactans supra illos, et manifesto dicens: Non vobis sed mihi, ex ipsis factis, iure pertinet magisterii dignitas. Dein autem de se ipso tantum disserit: non enim tam superbum erat de seipso tantum loqui, quam comparatione ad alios seipsum eis superiorem ostendere, praecipue dum illos alloquebatur qui habebantur ceu principes populi et ideo magno in honore erant. * p. 199.

Manifesto igitur exinde incipit dicere sibimetipsi pertinere pastoris dignitatem, non tantum accipiens responsum quod

daturi erant illudque explicans, sed et valide confirmans verba sua, etiam cum figurate dicit verba, quibus, seipsum comparans ad illos, iisdem se declarat superiorem. Attamen ex ipsis verbis hoc intellegemus.

Post allegoriam ergo ita locutus est: (v. 7) *Amen, amen dico vobis, ego sum ostium ovium.* Ecce videtur sibi contradicere; nam supra citatis verbis significavit se recepisse ius pascendi oves, quia ingressus est per portam; heic autem contrarium dicit seipsum vocans portam ovium. At supra citatis verbis loquebatur Pharisaeis qui iuxta Legem duces erant populi, atque ostendebat eos iniuste eiecisse caecum, merito ex institutis * Legis comparans seipsum illis, quippe qui accurate adimplevit eius mandata ac propterea vere est pastor ovium. Ergo optime dixit se per portam intrare, quia et ipse Legi subditus fuit et legitimo ingressu usus est. Hic autem non sub eodem respectu loquitur; sed dicit se esse portam ovium, quia omnibus est principium ingressus ad veritatem. Nam etiam doctrina eius singularis stat, atque fecit ut omnes ab ea vocentur; leges, prout sibi placuit, condidit, ut per eas viverent homines secundum eius voluntatem, atque causa fuit ut omnes cognoscant Patrem. Propterea dereliquimus nos opera Legis, et studemus oboedire praeceptis Christi; animam nostram dedimus evangelii moribus; atque ut adimpleamus leges eius magnam diligentiam adhibemus. Quapropter egregie semetipsum vocavit portam ovium. Est enim impossibile aliter ad veritatem pervenire, nisi prius credamus in Dominum nostrum et per praecepta eius accedamus ad ingressum veritatis; atque fruemur bonis quae per eum ex accessu ad Patrem possidemus.

* p. 200.

Praeterea quia ante eum alii venerant contendentes docere aliquid novum et utile, multosque Iudaeos allexerant ad sequelam suam magnis promissis eos decipientes, ipsisque causa fuerunt calamitatum multarum, verbi gratia Theudas et Iudas Galilaeus, quos etiam Gamaliel in Actis Apostolorum loquens ad Pharisaeos memorat [1]; probabile est Pharisaeos velle illos eosdem recolere, ut per comparationem ostendant Christi

[1] *Act. Ap.*, v, 34-37.

promissum esse falsum, quia et illi multos spe portentorum seduxerunt, tempus vero * redarguit promissa eorum ceu vana et falsa. Propterea praeveniendo non solum explosit respons[illegible] quod daturi erant, sed etiam ipsismet factis ostendit differentiam quae habetur inter se et illos, dicens: (v. 8) *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves.* Illi, inquit, qui venerunt, — nam scio quale opprobrium adversus me dicturi sitis, — locum furum et latronum tenebant, et propterea neque oves audierunt eos. Non omnes homines vocat oves, — oportet hoc attente considerare, — sed illos qui sunt intra ovile legum eius dominationis, qui, magna cum diligentia facientes veritatem, possident familiaritatem erga Dominum veritatis.

Quid ergo dicit? (v. 9) *Ego sum ostium;* id est: non sum illis similis; illi enim fures sunt, ego vero ostium. *Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* Qui accedunt ad me, per me et veritatem accipient, vita vera fruentur ac tuti laetabuntur veritate, laute oblectantes doctrina legis divinae. Haec enim verba: *ingredietur et egredietur et pascua inveniet,* ad id quod inter oves contingit spectant, quae delectationem magnam habent ex vera eius doctrina.

Unde dignoscitur illos esse fures, te autem pastorem ovium? Quia non tantum erat affirmandum verbis, sed et verba erant probatione confirmanda, addit dicens: (v. 10) *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Ex iis quae furibus consueta sunt, confirmat argumentum suum. Furis enim scopus est, ut furetur et mactet et perdat propter cupiditatem suam. Tantum * vero abest ut ego talium sim causa, ut mihi oboedientibus contrarium faciam, id est, ut eis conferam vitam, et quidem vitam non communem sed aeternam. Hic est enim sensus verborum: *et abundantius habeant.* Alludit autem ad resurrectionem, quam daturus est hominibus.

Deinde tamquam ex ipso facto desumptam attulit probationem, iterum dicens eis: (v 11) *Ego sum pastor bonus.* Igitur si contra ac fures ago, quippe qui non tantum non sum causa perditionis oboedientium mihi, sed ad vitam novam

aeternam invito eos, itaque factis ipsis videor esse pastor. quia ovibus sum causa bonorum multorum. Et quia hoc cum diligentia affirmat, magis adhuc argumentum probat, ne videatur vane de semetipso testificari se esse bonum pastorem; volens ideo hoc diversis argumentis atque ipsis factis ostendere, dicit: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Si, inquit, ille est pastor bonus, qui pro ovibus suis consentit sufferre omnes poenas, cum ego accipiam mortem pro salute totius mundi, ergo indubium est testimonium de me, seu: *Ego sum pastor bonus.* Nam si fur mactat, e contrario ego non tantum non macto, sed et vitam novam do eis, accipiens pro eis mortem; igitur undequaque ipsis factis videor esse bonus pastor.

Postquam ostendit se non esse furem neque latronem sicut illos, nunc ostendere vult se non esse pastorem mercennarium, ut qui ad pascendum oves a quibusdam sunt conducti, sed dominum propriaque pascentem. Hoc autem declarat per comparationem * ad Pharisaeos et scribas, omnesque qui iuxta Legem erant duces, quippe qui fures et latrones vocari non possent, quia tradito ordine videbantur possidere principatum populi. Non autem ut domini, sed ut mercennarii a domino ovium ad tempus conducti, pascebant. Adiungit dicens (v. 12): *Mercennarius qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit; et lupus rapit et dispergit oves.* (v. 13) *Mercennarius autem fugit, quia mercennarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Eodem ergo argumento ostendit pastorem non esse sicut mercennarium. Quare? Quia mercennarius, cuius non sunt oves, videns lupum venientem, deserit oves et curat salvare seipsum. Nam mercennarius cum sit, pro extraneis non consentit tolerare poenas.

(v. 14) *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae.* (v. 15) *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis.* Ego, inquit, non sum pastor sicut ille; sed facio opus quod est boni pastoris, quatenus suscipio mortem pro ovibus et pro earum salute consentio mori. Accepi nempe eas in meam familiaritatem semel pro semper, et propterea libenter mortem suscipio pro

eis. Hoc enim: *cognosco...* hic per omnia dicit de familiaritate, sicut in hac sententia: *cognoscit Dominus suos* [1]. Distinctionem autem familiaritatis evidenter secundum diversas personas significat; haud enim eodem sensu dicit: *Cognosco meas, et cognoscunt me meae.* Quomodo enim potuisset dicere, se esse notum a suis ovibus * in familiaritate cum eis, sicut quando et ipse assumpsit homines in familiaritatem suam! At hoc significare vult: Ego in familiaritatem meam assumpsi eos tamquam meam possessionem propter eorum bonam voluntatem, atque sollicitam curam recipiunt a me ceu mercedem. Ipsi vero cognoscentes me, tamquam dominum agnoscunt me. Et propterea addidit: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Hoc autem dicit de humana sua natura, prout et contextus clare ostendit; id est: sicut habeo ad Patrem familiaritatem quae non cessat, neque deinceps possum ei extraneus fieri, quippe qui per unionem meam cum Deo Verbo sum Filius, illumque agnosco ceu Patrem haud renuntians familiaritati cum eo; ita et oves meas, utpote meas, in familiaritatem meam accepi, ipsaeque similiter me agnoscunt ut suum pastorem neque renuntiant dominationi meae, immemores utilitatis suae. Nec mirandum est quod se tamquam hominem dixerit dominum; unione enim sua cum Deo Verbo habet communionem in omnibus.

Postquam ergo ostendit se non esse furem sicut illos, neque mercennarium sicut alios; sed est pastor haud extraneus gregi suo, semper dux et pastor proprii sui (gregis) per unionem suam cum Deo Verbo; nunc praedicit factum, quod erat ignotum ante eventum sed postea ipsis factis fuit revelatum, dicens: (v. 16) *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Hic autem alludit ad illos qui ex * Gentibus credituri sunt, qui tam e paganis quam ex Iudaeis destinati sunt ut congregentur in unam ecclesiam, atque agnoscant unum pastorem et unum dominum qui est Christus; prout revera contigit. Sed tunc miracula confirmabant verba, nunc autem verborum adimpletio confirmat mira-

[1] II *Tim.* II, 19.

cula (olim) patrata, quamvis non videantur. Duplicis enim generis sunt ea quae fecit: miracula nempe et praedictiones. Sed praedictiones adimpletae sunt apud illos qui postea earum exitum videbant; dum miracula confirmabant illos qui tunc videbant; ut omnes, per ea quae vident, adducantur sine ulla haesitatione ad fidem eorum quae non vident.

Quia igitur fuse locutus est de passione sua, dicens se vitam suam ponere pro ovibus suis, ut ita probaret sibi vere competere titulum pastoris seque non esse furem ovium nec mercennarium; ne tamen videatur sermo falso concludere, neque exinde minuatur aestimatio eius, si quod maius ac mirabilius apud eum inveniendum sit mors; propterea intendit deinde ostendere passionem suam minime esse sicut apud ceteros homines, sed sub hoc respectu magnam haberi differentiam inter se et illos. Hi enim constricti necessitate moriendi, necessario mortem subeunt, neque aliud post mortem suam exspectare possunt. Ipse vero sub hoc duplici respectu ab eis differt et superat eos. Primo, quia voluntarie et quando vult, acceptat mortem, secundo, quia sciebat breve fore intervallum (in sepulcro) et mortem esse solvendam, revertente anima ad corpus, sibique futuram esse vitam * incorruptibilem et immortalem, meliorem priore. Ita igitur exorditur accedens ad argumentum, et dicit: (v. 17) *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Haec omnia quae de seipso dicit, prout decursu commentarii ostendimus, et praecipue quae postea eventura sunt, scilicet in resurrectione, in ascensione atque in ceteris similibus; (haec omnia, inquam,) in figura videtur narrare, ita ut neque intellegi possint in contexta oratione, sed ex ipso intento fine oportet ea intellegamus; sicut istud: *Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo* [1] et cetera; aut istud: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi prius erat* [2]. Illae diversae phrases insinuant quidem vim suam, at non manifestant sensum suum expressis verbis. Et ita est pro multis aliis, prout decursu commentarii ostendimus, Deo adiuvante.

Illis ergo similis est phrasis haec. Derisio nempe foret, si

* p. 206.

[1] Supra, III, 13. — [2] Supra, VI, 63.

propterea Pater diligeret eum, quia ponit animam ut iterum sumat eam. Conformius enim foret, si propterea diligeret eum, quod ponat animam suam, non quidem ut iterum sumat eam, sed propter suum amorem pro ovibus. At verba: *propterea me diligit Pater*, retulit ad praecedentia; illis autem adiunxit haec: *ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Volens enim omnino passionem suam exhibere ceu gloriosam incepit exinde quod primo et admirabile est atque Patri placet, quodque etiam eius amorem in se allicit; deinde vero (declarat) se animam suam ponere ut in resurrectione iterum sumat eam, quando nempe ad corpus revertetur. Illud autem: *ut iterum sumam eam,* non quod causa * sit dixit; — non enim idcirco moritur ut resurgat; — sed modo loquendi Scripturae usitato, quasi causam dixit quod erat eventurum; verbi gratia: *Sed ut manifestentur in eo opera Dei* [1]... Nam et supra, quod erat eventurum posuit tamquam causam, at non causam caecitatis illud esse dixit.

* p. 207.

Postquam igitur ostendit, passionem suam quoad haec duo esse magnam et admirabilem: quia nempe valde placita et accepta erat Patri, hoc enim significare vult, dicens: *Pater meus diligit me;* et quia post passionem suam statim surrecturus erat ad vitam incorruptibilem, quod ipsi primo inter omnes homines contigit; iterum alio modo hoc manifestat dicens: (v. 18) *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.* Haud necessario, sicut ceteri homines, quasi decreto constrictus, suscipio ego passionem; sed cum nemo possit vi abripere a me (vitam meam), ideo ego eam depono quando volo. Et ut adhuc magis confirmet hoc verbum, dicit: *et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et cum hoc dictum multum videretur excedere naturam visibilem, addit: *Hoc mandatum accepi a Patre meo;* si autem quod dixi videtur vobis novum et superans naturam, attamen illud est mandatum voluntatis Patris; igitur omnino oportet credatis, quamvis videatur novum ac supra naturam illud quod dictum est. Illud: *Hoc mandatum accepi, significat:* ipse voluit ut ita sit. Non quod iusserit ipsum mori

[1] Supra, IX, 3.

ac resurgere; ne quidem hominis erat semetipsum suscitare propter observantiam praecepti; sed dixit talem esse voluntatem et praeceptum Patris. * Si igitur ratione suae humanitatis dicit, se potestatem habere ponendi animam suam et iterum sumendi eam, non est mirandum. Nam si virtute sua Henoch est translatus et Elias sublatus, quanto magis decebat eum non mori, qui omnibus omnino hominibus erat excelsior. Attamen hoc non dico; sed quod potestatem habeat faciendi etiam quae naturam suam superant, propter suam unionem cum Deo Verbo. Nam quemadmodum adoratur ab omnibus creaturis homo ille assumptus, prout ipsa veritas requirit, et hoc quidem valde distat ab eius natura, particeps autem est in facto (adorationis) propter unionem suam cum Deo Verbo, ita potestatem habebat sive non moriendi nisi vellet, sive moriendi cum vellet, prout sibi melius videbatur pro salute nostra; sed etiam (potestatem habebat) surgendi post mortem. Ipsum *autem talis potestatis participem* esse propter unionem suam cum Deo Verbo, patet ex eo quod dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* [1]. Cum manifeste Deus sit Verbum, per propriam suam virtutem et potestatem promittebat se excitaturum esse templum postquam dirutum esset. Igitur si divinitatis est excitare, patet eum, propter suam unionem cum illa, habere potestatem moriendi quando vult, et per eamdem potestatem resumendi animam suam, hac revertente ad corpus suum praeter naturae exspectationem.

Propter hos sermones, ait (evangelista) iterum orta est dissensio inter Iudaeos. Alii eorum dicebant: Daemonium habet, et propterea increpabant illos qui eum audiebant. Alii vero dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis. * Sed ex portentis quae fecit apparet eius sapientiam etiam meliorem et superiorem esse quavis sapientia humana; praecipue eius verba credenda sunt propter stupenda eius miracula; non est enim daemoniaci, aiebant, aperire oculos caeci.

Hic vero mirandum nobis est propter haereticos illos, qui nolunt concedere Dominum nostrum assumpsisse animam,

[1] IOH., II, 19.

cum tamen Dominus noster supra et infra diserte loquatur de anima sua. Sed circa hoc obiciunt nobis, etiam de Deo dictam esse animam. Atque non intellegunt oculos et manus, pedes ceteraque membra dicta esse de Deo, quin tamen propterea negemus et illa a Domino nostro fuisse assumpta. Hic igitur dum aliquid simile dicitur, intellegimus verba ista dici de natura a Deo Verbo assumpta; supra autem, operationem tantum et voluntatem innuunt. Ita, « anima mea » hic dicitur de natura; supra autem significat voluntatem Dei erga factum, eo quod ex voluntate animae nostrae solemus accipere aliquid sive bonum sive malum, quia eius naturae est cogitatio rationalis.

Nobis etiam obiciunt beatum Simonem dixisse: *Animam meam pro te ponam* [1]. Hoc autem puto nobis potius tamquam argumentum servire. Nam sicut ille, homo ex anima et corpore compositus, dicebat: *Animam meam ponam*, ita etiam *Dominus noster*. *Non enim* divina natura loquebatur de anima, sed humana, sicut et Petrus promittebat se daturum esse animam suam; quia evidens est animam esse partem hominis. Multa alia obiciunt illi, quae nos singulatim possemus referre ac refellere; at modo non * est tempus; nobis enim propositum est textus interpretandi, haud vero refellendi haereses. Si vero et illa posuimus, non sit mirum; nocerent enim expositionis ordini, nisi essent dicta. Debuimus referre illa, ut ostenderemus revera intentum sensum verborum esse illum quem in expositione nostra diximus; eumque vere loqui de anima, ac non tantum velle nomen proferre, ut cogitemus tamquam somniantes de alio sensu. Quemadmodum enim qui interpretatur, supervacaneum reputat introducere multa verba narrationi suae extranea, ita etiam omnino debet referre quae vero sensui verborum adversantur aut propter malam mentem aut propter ineptiam dicentium, eaque data occasione solvere. Censeo hoc esse necessarium accuratae eruditioni eorum qui accedunt ad hunc librum. Ego igitur neque Asterium haereticum suscipio, qui nimia sua audacia in interpretatione huius evangelistae ostendit se non interpretari voluisse; sed ex inter-

[1] IOH., XIII, 37.

pretatione evangelii occasionem sumpsit ad scribendum circa pestiferam doctrinam sectae suae. Si quis ergo velit comparare verba quae in commentario suo scribit, cum verbis quae haereticam eius sectam respiciunt, vix unum ex decem inveniet quod sit interpretationis. Deinde si a verbis istis separemus iniurias quas profundit, nihil omnino remanebit. Si quis scire velit quomodo haec intellegenda sint, et cum anima doctrinae cupida accedat ad scrutandam scientiam religiosam, quaerat volumen quod composuimus circa humanitatem Domini nostri, indeque intelleget veritatem illorum; quia ibi apte adversus argumenta voluminis * egimus, et accurate contra illa omnia disseruimus.

* p. 211.

Post verba illa, prout dixit evangelista, (v. 22) *Erat dedicationis festum in Ierusalem.* Dedicationem autem significat ipsius Ierusalem. Non quod tunc instaurata esset civitas; sed quia saepenumero ab hostibus eversa erat civitas, postremo autem etiam ab Antiocho plane fuerat devastata, et postquam a Machabaeis expulsi sunt inimici, antiquam rursus speciem Dei adiutorio civitas recuperavit; eumque quo vicerunt quotannis diem celebrabant, in memoriam praeter omnem spem obtentae victoriae; eamque Encaenia Hierosolymae appellabant. Tunc ergo quia in die festo omnes erant congregati, Iesus ambulabat in templo, in porticu dicto Salomonis. Appropinquantes Iudaei circumdederunt eum, et posito in medio dixerunt ei: (v. 24) *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* Valde dolose ponebant ei hanc quaestionem. Si enim credere vellent, fides erat exhibenda iis quae faciebat magis quam iis quae dicebat. Sed intendebant eum interrogare, ut cum clare dixisset: « Ego sum Christus », accusationem superbiae contra eum ferrent; quamvis manifesto testimonium perhiberet de seipso. Idem iam supra citatis verbis fecerunt; postquam nempe dixit: *Ego sum lux mundi* [1], obiciebant ei: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum* [2]. Increpans ergo eorum malam intentionem, non dicit: « Ego sum », ne manifestam eis praeberet ansam vituperationis, sed dicit eis: * (v. 25) *Locutus sum*

* p. 212.

[1] Supra, VIII, 12. — [2] Supra, VIII, 13.

vobis et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. (v. 26) *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Si, inquit, verbis vultis edoceri circa me, dixi vobis iam pluries et non credidistis. Attamen quid vultis sermone edoceri de me, quando ipsa opera melius possunt testimonium perhibere de me? Quia opera omnia ad Patrem refero, ita ut duplicem ob causam erubescere debeatis de operibus istis: tam propter magnitudinem eorum quae contingunt, quam propter gloriam quae inde ascendit ad Patrem. Sed neque propter ista erubescitis, quia sicut dixi vobis saepe, extranei estis doctrinae meae, neque communionem potestis habere mecum propter malam voluntatem vestram.

Deinde volens ostendere se etiam praescire scientia sua inscrutabili, quinam essent credituri et quinam essent increduli dicit: (v. 27) *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Sicut quod vos attinet, inquit, scio vos non esse ex meis ovibus, ac propterea superfluum duco vobis loqui, ita cognosco oves meas et tamquam meas habeo eas, quia et ipsae audiunt vocem meam et oboediunt verbis meis; propterea valde mihi placet loqui eis, — neque dicit qualis vel quomodo sit eorum oboedientia.

v. 28) *Et ego vitam aeternam do eis;* id est, tamquam mercedem pro eorum oboedientia vitam aeternam do eis. Deinde hoc verbum exaggerans ait: *et non peribunt in aeternum;* id est, tanta est virtus doni mei, ut qui illud acceperint, in aeternum fruantur vita perenni, * cum fieri nequeat ut pereant et decedant a dono gratiae meae. Quomodo hoc fiat, dum multi sunt deceptores, ait: *et non rapiet eas quisquam de manibus meis.* Impossibile est enim, etiam si inimici eorum decem milia mala moliantur eis, ut aliquis me fortior rapiat eos de manibus meis. Atque haec est tota differentia, quae inter vos habetur et meos: quod vos et auditis verbis et visis prodigiis non credatis; dum illi, etiamsi decem milia mala patiantur, non recedunt a mea familiaritate. Quapropter recipient mercedem voluntati suae congruam, scilicet vitam aeternam. Quia vero dixit: *non rapiet eas quisquam de manibus meis;* id est: nequeunt abalienari a me, confirmare vult auditoribus suis

verbum illud dicens: (v. 29) *Pater meus, qui dedit (eas) mihi, maior omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Ad Patrem nempe causam illius retulit, ut incredulis confirmaretur verbum ceu indubium. Et quia valde debile videbatur hoc quod dixit: *Nullus rapiet ex manibus meis,* propterea introduxit virtutem Patris eiusque eminentem magnitudinem, dicens: *Nemo potest de manu Patris eripere,* quia omnes sunt ei multum inferiores. Quare vero requiratur hoc ad probandum illud, scilicet: Neque e manu ipsius aliquem rapi posse, ait: (v 30) *Ego et Pater meus unum sumus.*

Postquam dixit; nemo potest rapere e manibus meis, neque e manibus Patris quia maior omnibus est, opportune addidit hoc: *Ego et Pater unum sumus.* Quia, inquit, sicut ille omnibus ego maior sum, eo quod et ego sicut ille auctor sum creaturarum, easque creavi cum illo; et aequalis sum cum eo in virtute, unumque sumus ego * et ille in magnitudine et in potestate, propterea nemo e manibus meis potest rapere; sicut neque e manibus Patris.

* p. 214.

v. 31) *Iudaei igitur,* haud sufferentes talia dicta, *sustulerunt lapides, ut lapidarent eum.* Haeretici autem, quia peius quam istud volunt facere, conantur sensum manifestum huius verbi corrumpere, dicentes: Ecce in alio loco ait: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te* [1]; neque propterea credimus, inquiunt, illos Deo aequales esse in virtute aut natura. Quoad sensum vero illius verbi, adiuvante Deo, clare ostendemus, quando ad illud perveniemus, etiam ex illo aequalitatem Filii cum Patre in natura demonstrari. Nunc autem hoc dico, ne plura verba superflua introducam praeter commentarii ordinem, cum illa verba loco suo explicanda sint.

Vox « unum » tum consensum, tum similitudinem, aliaque multa significat. Quando, verbi gratia, dicitur: *Multitudinis credentium erat anima una et cor unum* [2], manifeste dicitur « unum » de animorum consensu. Et iterum, quando dicitur: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus* [3],

[1] Ioh., xvii, 20-21. — [2] *Act. Ap.*, iv, 32. — [3] I *Cor.*, xii, 13.

manifesto designatur similitudo naturae, quippe qui omnes nos per unam spiritualem regenerationem in alios transformamur, et unusquisque nostrum membrum Christi efficitur, atque omnes in unum corpus congregamur. Quemadmodum enim omnes sumus unum corpus secundum naturam, omniumque nostrum caput Adam est, eo quod fuit principium naturae nostrae; ita etiam unum corpus Christi vocamur, quia per Spiritum ad vitam incorruptibilem *nati sumus, et tamquam in typum resurrectionis confitemur caput nostrum esse Christum, quia primus resurrexit ex mortuis. Notum est enim baptisma figuram esse mortis et resurrectionis, cum clare beatus Paulus dicat: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem eius, ut quomodo Christus surrexit a mortuis in gloriam Patris sui, ita et nos in vita nova ambulemus* [1]. Cum igitur manifestum sit, vocem « unum » diversimode dici, dicitur enim tum de similitudine, tum de consensu, non istud erat quaerendum an alicubi aliter dicatur; sed hoc est examinandum, quomodo et quo sensu hic sit dictum: utrum de aequalitate, an alio quodam modo. Hoc autem indicat ipsa contexta oratio, cui maxime fidendum est in explicatione sermonis. De virtute nempe, quatenus est omnibus maior et potentior, dixit *unum;* atque hoc apparet ex interpretatione verborum. Iudaei igitur sublatis lapidibus non usi sunt; evidens est Dominum nostrum, occulta sua virtute, sedasse illorum impetum postquam lapides sustulerant.

* p. 215.

v. 32) *Dixit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Pulchre quidem dixit: *ex Patre meo;* magno enim pudore afficiebant eos miracula dum Patris credebantur, ita ut nullum haberent praetextum accusandi eum de iniquitate. (v. 33) *Illi vero dicebant ei: Non propter bona opera lapidamus te, sed quia blasphemas; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Cum operibus non possent * contradicere, quia manifesto mirabilia et salutaria videbantur, increpabant eum praetextu blasphemiae dicentes: *homo cum sis, facis teipsum Deum,* et iure quidem hoc dicebant. Qui enim dicebat: *Ego et Pater meus unum*

* p. 216.

[1] *Rom.*, vi, 4.

sumus, semetipsum facit id quod est Pater. Quid ergo respondet Dominus noster? Duo simul fecit: et verbum suum retinuit, et comparatione ad inferiora ostendit inanem esse accusationem Iudaeorum. Mos est etenim ut comparatione cum minoribus magis increscant res. Quid ergo dixit? (v. 34) *Nonne ita scriptum est in lege vestra: Ego dixi, dii estis?* (v. 35) *Si illos dixit deos, quia ad illos sermo hic factus est, et non potest solvi Scriptura:* (v. 36) *quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi vobis: Filius Dei sum.* Attamen, ecce in lege vestra ad homines dictum est: *dii estis.* Licet simplici verbo hoc dictum fuerit eis, — non enim in naturam divinam mutati sunt, sed Dei gratia receperunt hanc appellationem; et licet omnino firmum sit hoc verbum, ego tamen vobis videor blasphemare quia de meipso dixi: *Filius Dei sum.* Ecce secundum contextum dicere debebat: Vos dicitis: Blasphemas; quia dixi « Deus sum ». Hoc enim et ipsi obiciebant, et trames sermonis Domini exigebat. Qui enim ait: « Si illos dixit deos... », ordinate debebat subiungere: Vos dicitis: Blasphemas; quia dixi, « Deus sum ». Sed *quia ad illos sermo factus est* tantum, ipse autem dixit:

* p. 217.

* *Ego et Pater unum sumus.* Magna autem habetur differentia inter hoc et illud. Comparatione vult ostendere blasphemum esse, quod homo nomine Dei appelletur; atque ex comparatione huius: *unum sumus*, magna habetur in eo differentia. Ne scilicet crederent ipsum voce « unum » significare, se etiam esse sine principio sicut Patrem, opportune subiunxit illud: *Filius Dei sum*, significans, quamvis seipsum dicat unum cum Patre, minime se dicere tamquam sine principio esse cum eo qui est sine principio, sed tamquam filium erga patrem, generatione sua habentem perfectam eius similitudinem.

Deinde ostendens eis non esse dubitandum de verbis suis, atque caute indicans comparationis defectum, ne scilicet credatur et ipse eodem modo ac homines appellari Deus aut Filius Dei, addit dicens: (v. 37) *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* (v. 38) *Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ne dubitetis, inquit, de iis quae dicta sunt, quando opera clare proclamant magnitudinem meam. Si enim quae Deo non congruunt operor, nolite

credere mihi. Sin vero Patri conveniunt atque sunt secundum voluntatem et virtutem eius, — omnia revera mirabilia sunt atque hominibus proficua, — quamvis in me litem moveatis, attamen erubescere debetis propter factorum virtutem. Et quid ex factis istis credendum sit, declarat dicens: *Ut cognoscatis et credatis quia Pater meus in me est et ego in Patre meo.* Dicere vult: Ut sciatis et credatis me ac Patrem vere unum esse. Hoc enim supra dicebat, quando litigabant Iudaei contra ipsum, ipse vero sedabat quaerelas eorum, suadens eos ut crederent verbis suis *dicens: *Ego in Patre meo et Pater meus in me est;* nam sciebat eamdem esse utriusque virtutem. Vult enim significare: Etsi sermoni non credatis, propter opera saltem credite verbis meis. Hoc enim: *Pater meus est in me et ego in Patre meo*, manifeste de similitudine naturali intendit, quatenus ipse in Patre videtur, et Pater in ipso. Quod aequivalet huic: *Ego et Pater meus unum sumus.*

Quando igitur intellexerunt Iudaei, ipsum a comparatione ad homines deduxisse ipsos ad antea dicta ut confirmaret suum sermonem, (v. 39) *quaerebant eum apprehendere; et ipsis invitis aufugit e manibus eorum;* (v. 40) *et abiit trans Iordanem in eum locum, ubi erat Iohannes baptizans primum: et mansit illic.* Convenerunt autem plures alii ad eum, illi scilicet qui, propter ea quae dicta sunt, amplexi erant fidem, qui et dicebant: (v. 41) *Iohannes quidem signum fecit nullum.* (v. 42) *Omnia autem quaecumque dixit Iohannes de viro hoc, vera sunt.* Quibus evangelista subiungit dicens: *Et multi crediderunt in eum ibi.* Evidenter illi qui eo iverunt ad eum, confirmati fuerunt in fide per ea quae postea viderunt eum facientem vel audierunt eum docentem.

Verbis istis conectit deinde evangelista historiam Lazari.

Explicit liber quartus.

LIBER QUINTUS.

[CAP. XI, 1]. — *Erat autem quidam languens Lazarus ex Bethania, frater Mariae et Marthae.* Si ipsum miraculum tantum narrare vellet, compendiose diceret: Erat aegrotus qui-

* p. 219. dam, nomine Lazarus, et hunc * postquam mortuus est suscitavit Iesus. Sed hoc non credidissent, si modo tam simplici dictum fuisset. Nunc vero ceteris illis additis et accurate narrata historia, indicans vicum unde erat, et cuiusnam esset frater, et quaenam acciderint in hoc facto, magis confirmat suum sermonem pro illis qui incident in hanc historiam. Impossibile enim erat totam hanc historiam ex integro creare. Sed evangelista non tantum prodigium enarrare vult; sciens enim plura alia prodesse legentibus librum suum, omnia haec ordinate scribit.

Ante omnia recordatio mulierum inservit instruendae virtuti. Quare et quoad alia videmus eum accurate describere earum modos. Primo quia nunc dixit: (v. 2) *haec est quae unxit eum unguento,* et postea quia dixit: (v. 5) *Iesus diligebat eos.* Ad probandam enim modestiam mulierum, etiam hoc signum inserviebat. Praeterea adhuc per verba, quae mulieres illae ad Dominum nostrum dicebant ante et post mortem Lazari, fides earum et castitas accurate revelatur. Evangelista ergo censuit omnia illa omnino esse dicenda ad instructionem eorum qui in hanc historiam incident. Narrat ergo miraculum ordine historico, sciens magnam utilitatem sequi ex narrandis eius verbis, cum eius historia abundet alta doctrina.

Quidam ergo aegrotus erat, nomine Lazarus, de vico Bethania, unde erant Maria et Martha; erat etiam ille frater earum. Deinde monet eamdem esse hanc Mariam quae pedes Iesu
* p. 220. * unguento unxerat et capillis suis absterserat, clare ostendens se summatim exponere velle mulierum virtutem. Ergo hanc Mariae actionem narrat probantem eiusdem magnam dilectionem erga Dominum nostrum, quatenus multo unguento unxit eum et capillis suis extersit pedes eius. Ita elegit totam se subicere pro quiete Domini. Hoc autem factum post ea quae ad Lazarum pertinent, contigit; idque demonstrat evangelista, illud posterius narrando. Quia nempe evangelista hunc librum post factum istud conscripsit, et relaturus erat idem factum ordine quo evenit, ut magis illustret historiam et ostendat quaenam sit mulier de qua hic scribit, anticipat factum dicens eamdem esse mulierem quae illud fecit et cuius nunc meminit in historia Lazari. Sine hac additione, potuis-

set quis cogitare haberi eiusdem nominis mentionem de diversis mulieribus, prout frequenter fieri solet inter homines.

v. 3) *Miserunt ergo duae sorores eius ad Iesum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Magna demonstratio fidei habetur in hoc verbo. Tantam enim Domino virtutem inesse agnoscebant, ut mirarentur etiam corripi morbo posse eum qui ab ipso diligeretur. Verba: *ecce quem amas infirmatur,* valde verecunde quidem dicuntur, sed magnam produnt fidem. Quare et Dominus noster dicebat: (v. 4) *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Nolite, inquit, putare omnino eum moriturum esse hoc morbo. Cunctatio quidem levis habetur ex parte mea erga illum quem diligo, ut * miraculo magno erga eum peracto, * p. 221. demonstratio valida virtutis meae habeatur et occasio maioris gloriae Dei. Hoc ergo: *pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam,* dixit, quia hoc factum aeque inserviebat gloriae ipsius et Patris; seu hoc dixit: ut ego glorificer et Pater. Si quis vero illud *Dei* sumeret tamquam de ipso dictum, non discutiemus circa hoc. Neque mirandum est quod, Lazaro mortuo, Dominus noster dixerit: *non est ad mortem haec infirmitas;* non enim illi erat mors, qui brevi eum erat suscitaturus. Addit ad haec evangelista: (v. 5) *Diligebat autem Iesus Martham et Mariam et Lazarum.* Memoravit dilectionem eius erga illos, ut ostenderet virtutem hominum et consensum voluntatum eorum. Nam impossibile erat ut omnes isti diligerentur a Domino nostro, nisi omnes pares essent in sensu et dilectione sua erga eum.

Postquam ergo audivit Dominus noster illum esse aegrotum, prout dixit evangelista, et postquam respondit, adhuc duobus diebus remansit ubi erat. (v. 7) *Deinde dixit discipulis suis: Eamus in Iudaeam iterum.* (v. 8) *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* Quia adhuc humano modo cogitabant discipuli, volebant eum retinere ut salvarent eum, quamvis pluries accepissent evidens argumentum nihil ipsi invito accidere posse, non tantum ex iis quae dicebat, sed etiam ex eo quod paulo antea prodigioso modo, praeter omnem exspectationem, e manibus eorum aufugit, dum volebant eum deprehendere.

Quid ergo respondet Dominus noster ad haec? (v. 9) *Nonne* * *duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* (v. 10) *Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Vos videmini nondum cognoscere me, inquit; atque nescitis impossibile esse, ut invitus deprehendar morte. Quomodo dicitis mihi fugiendum esse e Iudaea, ut salver ab inimicis meis? Ego autem dico vobis: quemadmodum dies constat duodecim horis, et qui in die ambulat tuto incedit servatus a noxiis; periculum vero imminet ei qui nocte ambulat, quia in tenebris incertus est gressus eius; ita impossibile est ut mihi invito aliquid accidat. Nam lucem scientiae habeo, et propterea quia omnia scio, nihil accidit mihi praeter voluntatem meam. Ergo nequidem tueri meipsum debeo, quia omnia accurate scio.

Haec igitur dixit et deinde adiunxit: (v. 11) *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem illum.* Propter id quod erat facturus, Dominus noster mortem vocavit somnum, ita significans quam facile suscitaret eum. Simili modo supra iam dixit: *infirmitas haec non est ad mortem.* Discipuli autem non intellegentes dicebant: (v. 12) *Domine, si dormit, salvus erit.* Si vere dormit, necessario et expergiscetur; hoc enim ipsa natura hominum postulat. Cum igitur non intellexerint mortem ab eo vocari somnum, manifesto dixit eis: (v. 14) *Lazarus mortuus est;* (v. 15) *et gaudeo propter vos quoniam non eram ibi, ut credatis; sed eamus eo.* Non agitur de somno, sed propter vos gaudeo de eo quod accidit. Hoc enim: *non eram ibi,* inservit ad confirmandam fidem vestram; quia si ibi adfuissem, * infirmum curassem, et perexiguum fuisset hoc miraculum ad virtutem meam demonstrandam. At quia longe eram dum supervenit mors, nunc eo iterus sum ad suscitandum eum, ut magis in fide confirmemini, videntes me posse suscitare etiam mortuos iam foetentes. Eamus ergo ad eum, prout tempus expostulat.

v. 16) *Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos suos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo.* Cum vellent discipuli retinere eum, timentes ne aliquid mali ei accideret a Iudaeis, ipse vero non consentiret remanere, convenientissime Thomas illo responso usus est; quod, etsi infirmae fidei esset

indicium, magnam tamen dilectionem eius pro Domino manifestabat. Impossibile esse ut vitet Iudaeorum insidias, si revertatur ad eos e quorum manibus modo salvus est, evidens est; melius ergo ei foret, si persuasus esset hic remanere et declinare ab inimicis suis; at quia elegit abire: *eamus et nos cum eo, et cum eo moriamur;* melius enim est cum eo communi morte perire, quam propriae saluti consulentes remanere nostro magistro destituti.

Cum ergo abierit Iesus, invenit Lazarum iam a quattuor diebus in sepulcro. Duobus enim diebus transactis in loco ubi erant, adiunge duos dies itineris, et quattuor habentur dies. (v. 18) *Bethania vero,* ubi Lazarus erat mortuus, *prope Ierusalem erat, quasi stadiis quindecim distans ab ea,* id est duobus milliariis, prout nos dicimus. Opportuna erat proximitas loci, ut omnibus praedicaretur miraculum patratum. (v. 19) *Multi enim ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam, ut eas consolarentur de discessu fratris sui;* * atque illorum praesentia valde utilis erat, ut et ipsi testes forent signi. (v. 20) *Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi; Maria autem domi sedebat.* Haec evidenter nihil audierat de eius adventu; quod clare apparet ex verbis sequentibus.

v. 21) *Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Hoc bene quadrat cum verbis iam explicatis: *Ecce quem amas infirmatur.* Ex eadem mente procedebat ut putaret morbum non debere attingere illos qui a Domino diliguntur, et ut crederet Dominum, si adfuisset, potuisse impedire mortem. Deinde amplificans suum sermonem ait: (v. 22) *Sed et hoc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi.* Aequivalet huic: non dubito quominus resurgat. Nec mirum sit quod ei dixerit: *Et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi.* Hucusque enim adhuc cum homine admirabili, qui propter suam virtutem multa facere poterat, loquebantur. Cognitionem autem perfectam de eo, velut Deo Verbo, omnium causa, quam postea Apostoli et Evangelistae manifesto docent, tunc neque ipsi discipuli ante eius crucem possidebant. Quapropter plura, quae ipsis dicebantur, non intellegebant; sicut supra ostendimus ex ipsis verbis Evangelistae. Idipsum et ex sequentibus verbis

clare apparet; scilicet ei qui accurate examinat totum evangelii librum id cognoscetur.

Quid ergo dicit ei Dominus? (v. 23) *Resurget frater tuus.* (v. 24) *Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Hinc manifesto apparet eas, quamvis aliquo- * p. 225. modo crederent propter * potentiam Domini, attamen propter facti magnitudinem in dubio remansisse. Quare et nunc postquam dixit: *Scio, quia quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi*, Domino nostro respondente: *Resurget frater tuus;* quia ex una parte non dubitat de eius promisso, et ex altera parte factum hoc considerat tamquam humanas vires superans — diximus enim supra, eas adhuc tamquam cum homine loqui, qui propter suam virtutem omnia operatur; — ideo dixit ei: *Scio quia resurget in novissimo die.* Quid ergo dicit ei Dominus noster? (v. 25) *Ego sum resurrectio et vita.* Si sane prius credis, noli de altero dubitare. Non enim alius praeter me hoc effecturus est; sed ego sum causa huius hominibus. Qui ergo omnes homines suscitabit, non est debilior ad suscitandum unum.

Hinc vero ad doctrinam deducit sermonem suum dicens: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;* (v. 26) *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?* Itaque quia ego sum qui illud facturus sum, qui credit in me[1] vivet etiamsi moriatur. Quia, tamquam per promissum eius, in beata spe eorum quae futura sunt, accipiunt mortem; id est: qui fide in me vivit, numquam moritur; nam etsi mori videatur, nequaquam mortuus est, sed vivit propter promissionem, cum qua accipit legem dissolutionis naturae. Et egregie, dictis istis, addidit: *Credis hoc?* Id est: crede firmiter hoc quod prodest tibi, iisque omnibus qui in fide sua eamdem de me habent cogitationem.

* p. 226. Quid ergo dixit Martha post haec? (v. 27) *Utique * Domine, ego credo quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Quia dixit: *Ego sum resurrectio et vita*, cum exspectarent per Messiam ex eis oriundum, illa erga homines fieri, merito post illa verba dicebat ei: *Utique Domine, ego credo,*

[1] Textus: « in eo »; quod de facto resurrectionis intellegi posset.

quia tu es Christus, Filius Dei, quem exspectabamus venturum in mundum secundum verba prophetarum. Haec autem dicebat cum nondum haberet de eo perfectam cognitionem. Uncti (seu Messiae) enim et prophetae Dei in Lege appellantur electi et virtuosi. Quia vero tamquam homo omnibus eminentior exspectabatur ab eis Messias, merito istud dixit. Quod autem non cum scientia perfecta dixerit, in praesenti facto noscimus, quemadmodum ex libro discimus; hoc patet ex eo quod neque apostoli ante eius resurrectionem accurate eum cognoscebant; si quidem etiam post eius resurrectionem, multum dubitarunt in cogitationibus suis num surrexerit, prout ex ipsa Scriptura didicimus.

v. 28) *Cum haec dixisset, abiit et vocavit sororem suam secreto dicens: Magister adest et vocat te.* In Evangelio quidem nullibi legitur Dominus dixisse, ut vocaret sororem suam; manifeste tamen collegitur id ei dictum esse; sed ab evangelista est praetermissum, ut cui nonnisi necessaria erant exprimenda. Prudentissime egit secreto vocando sororem suam propter Iudaeorum praesentiam; sciebat enim solam eius mentionem illis esse importunam.

v. 29) *Maria ergo ut audivit, surrexit cito et venit ad eum.* (v. 30) *Nondum enim venerat Iesus in castellum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.* Iudaei autem qui aderant ut eam propter luctum consolarentur, cum vidissent Mariam repente * surrexisse et exiisse, putantes eam ad sepul- * p. 227. crum ire ploratum, secuti sunt eam quasi ne dolore abrepta aliquid faceret quod dedeceret impedituri. Hoc autem providentia Dei ordinatum est, ut venirent inviti et de faciendo miraculo fierent testes. Attamen cum Maria apud Iesum venisset, cito cecidit ad pedes eius, dicens eadem ac Martha: (v. 32) *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Martha vero non dicitur cecidisse ad pedes eius, sed solum ei occurrisse, ut pluribus appareat Mariam maiorem erga Iesum amorem habuisse. Quod adhuc apparet ex eo quod dum Dominus in domo earum erat, illa servitio intenta erat, haec vero ob magnum suum amorem ad pedes eius sedebat, nolens, ne ad breve quidem tempus, separari a magistro. Quare et Dominus laudibus extollebat eam supra Martham.

v. 33) *Ut ergo vidit Dominus Mariam plorantem et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum,* (v. 34) *et dixit: Ubi posuistis eum?* Fremitus eius signum fuit irae. Iram suam vero praemonstravit Dominus, ut ostenderet Iudaeos non esse credituros nequidem viso miraculo. Propterea evangelista dixit: *Infremuit spiritu.* Rogat: *Ubi posuistis eum?* non ut ignorans, — quomodo enim ignoraret, qui dicebat eum mortuum cum adhuc procul esset? — sed ut certo quodam ordine, et non ad ostentationem, miraculum hoc facere videretur. *Dicunt ei: Domine, veni et vide.* (v. 35) *Et lacrimatus est Iesus.* At cum suscitaturus esset eum, superfluum erat plorare. Sed nobis * posuit normam, et per lacrimas suas docuit nos mensuram luctus, ut hoc sufficiat nobis, nec ultra mensuram tristitia opprimamur. Iudaei ergo, cum viderent Dominum plorantem, quidam dicebant: (v. 36) *Ecce quomodo amabat eum;* alii vero: (v. 37) *Non poterat hic qui aperuit oculos illius caeci facere ut hic non moreretur?* Mos est semper contemnere ea quae sunt facta propter ea quae non fuerunt facta, sicut et ad Moysen dicebant: *Percussit petram et fluxerunt aquae. Numquid et panem poterit nobis dare?* [1] Propterea addit evangelista: (v. 38) *Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Fremuit enim ira etiam propter illorum verba, quia videbat eos contemnere signa iam patrata. Neque quod petebant, quando erat factum, admittebant.

* p. 228.

Quia vero spelunca erat in qua Lazarus erat positus, et lapis erat supra ingressum eius, (v. 39) *dixit Iesus: Tollite lapidem.* Cum volverent eum, percussit odor Martham quae dixit: *Domine, iam foetet, quatriduanus est enim.* Verbum est feminae dubitantis; hoc autem ad demonstrandam magnitudinem miraculi referebat: quanto enim magis corpore solutus noscebatur secundumque naturam mutationem praeferebat, tanto magis manifestabatur miraculum quod erga Lazarum erat faciendum. Ideo Dominus exprobrans ei dixit: (v. 40) *Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Hinc patet eam non fuisse dubitationis expertem, etiam dum dicebat supra citata verba atque videbatur eadem admittere et credere. (v. 41) *Tulerunt ergo lapidem.* Iesus autem elevavit *oculos suos sursum, ut ostenderet iterum se ad Patrem referre opus faciendum, ne ulla foret Iudaeis excusatio propter incredulitatem eorum. *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.* At nimium erat ei, qui nondum petierat, gratias agere quoniam exauditus est. Quo ergo tendunt ista, et quare dicuntur? (v. 42) *Ego scio quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi ista: ut credant quia tu me misisti.* Quamvis ex parte hominis [1] illa sint dicta, tamen ostendit se omnipotentiam habere, eo quod recepit a Deo Verbo, propter unionem cum eo; hoc enim significant verba: *semper me audis.* Ita ergo fecit cognoscere scopum verborum suorum, quae propter adstantes dixit, ne excusationem habeant increduli, quasi aliquid Patri contrarium cogitaret, dum e contra cuncta quae agit ad Patrem refert. Clarum est nempe minime convenire Deo Verbo, ut per orationem obtinuerit virtutem suscitandi mortuos. Omnium enim Creator non indiget oratione ad suscitandos mortuos, prout et de templo diserte dixit: *In tribus diebus excitabo illud* [2], sibimet tribuens omnem voluntatem et potestatem operis. (v. 43) *Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.* Voce alta clamavit, non quod haec vocis elevatio resurrectioni conduceret; sed ut adstantibus ostendat se animam tamquam a longe vocare, ac minime, anima adhuc in corpore, suscitare mortuum.

* p. 229.

v. 44) *Exiit ergo Lazarus, ligatus manus pedesque institis, et facies illius sudario erat ligata,* eo habitu quo fuerat sepultus more hominum. Erant omnia haec mirabilia, scilicet quod vixit, * et quod surrexit ligatis manibus pedibusque, et quod exiit facie ligata; uno verbo, si quis attente velit examinare, omnia erant mira et magna. Non est interpretationis sententiarum protrahere sermonem circa mirabilia rei.

* p. 230.

Dominus noster ergo iussit, ut solverent eum et sinerent eum iam abire more suo. Iudaeis vero, qui aderant, varia erat opinio circa id quod factum est. Alii enim crediderunt in eum

[1] *Ps.*, LXXVII, 20.

[1] Syriace: ܡܢ ܦܪܨܘܦܐ ܕܒܪܢܫܐ. — [2] IOH., II, 19.

propter miraculum quod fecit. Alii e contra tantum aberant a credendo ut abirent denuntiare eum Pharisaeis, quasi ausus esset aliquid illicitum facere. Sed etiam quod odio et contentiosa voluntate fecerunt, proderat ut omnibus notum fieret miraculum patratum.

His auditis, Pontifices et Pharisaei congregati sunt, et inito consilio dixerunt: (v. 47) *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit?* Cum enim deberent facto credere, ipsi reputabant miraculum esse malum; et tunc dicebant: (v. 48) *Si dimittimus eum sic, omnes* propter miracula *credent in eum.* Et quid inde sequetur? *Venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem nostram.* Rationem finxerunt, ut specietenus cohonestarent malitiam suam. En quid dicebant: quia erant sub tributo Romanorum, apud quos erant inscripti, et secundum eorum descriptionem solvebant tributa, si omnes credant in eum, eumque deinceps sequantur qui reputatur rex et dux, suspicio orietur inter Romanos nos moliri rebellionem, studere ut iterum natio fiamus, et dominationem eorum a nobis solvere * velle; propterea cum ira tractabunt nos, perdent nos atque regionem nostram redigent in suam. Hoc autem eis accidit propter arrogantiam eorum erga Dominum. (Quod si credidissent), tunc istud non fuisset. Qui enim crediderunt in Domino, ad talem (rebellionem) non sunt instructi per eius doctrinam, ut propter eamdem possent Romani illud cogitare atque Iudaeos tamquam inimicos et rebelles occidere. E contra, si Iudaei credidissent ceterique homines, seu etiam ipsi Romani, accepta fide in Iesum magno cum amore, magno etiam in honore habuissent Iudaeos, quia ex ipsis ortus est Dominus Iesus.

* p. 231.

v. 49) *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dicebat* in concilio: (v. 50) *Expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Idem alio modo dixit quod supra[1]. *Pontifex anni illius,* id est, illo anno seu illo tempore pontifex erat. Quia non iam per ordinem generationis transmittebatur summum sacerdotium posteris, sed ad libitum Romanorum tradebatur cui volebant illud dare, quando primi aliquod tempus in dignitate pontificatus trans-

[1] Supra, v. 48.

egerant, mox alii post illos ad hoc officium adducebantur. Adiungit evangelista: (v. 51) *Hoc autem a semetipso non dixit,* sed quia gradum summi pontificatus tenebat, incepit praedicere eventum futurum, nesciens quid diceret. Quid ergo dixit? Christum scilicet mori pro populo, et in communem utilitatem ipsum subire mortem. Addit: (v. 52) *Non tantum pro gente, sed ut filios Dei, * qui erant dispersi, congregaret in unum.* Non his enim tantum prodest mors Domini nostri, sed et illis qui ex Gentibus crediderunt, qui postea nempe per Apostolos conversi sunt ad timorem Dei. (v. 53) *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.* (v. 54) *Iesus ergo iam non palam ambulabat inter Iudaeos*[1], *sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephraim, et ibi morabatur cum discipulis suis.*

* p. 232.

Postquam ergo ita narravit evangelista quae evenerunt, divertit exinde ad narrandam passionem Salvatoris nostri, recolens etiam quae ante passionem ab ipso Domino dicta aut facta sunt, et quae ipse de passione sua dixit; de quibus omnibus nullus evangelista locutus erat. Beatus Iohannes vero censuit haec omnino esse referenda, utpote inservientia scopo suo; nam intendebat dicere quae a ceteris omissa fuerant.

Propterea dicit: (v. 55) *Proximum erat Pascha Iudaeorum...* Ne autem, cum ponimus sententias notas et iterum interpretamur eas, in copiam verborum opus protendamus; quod ubique fecimus in sententiis superioribus, hoc etiam nunc faciemus, sine tenore nempe ipsarum sententiarum narrabimus quae ab evangelista dicta sunt, cum ordinem seriei servabimus singulas sententias tractabimus et a prolixitate verborum abstinebimus.

Multi itaque de regione ascendebant in Ierusalem, ut secundum consuetudinem legis purificarent se ante Pascha. Hi erant, quibus ob aliquam impuritatem fortuito contractam, non licebat * accedere ad mysterium Paschatis, nisi prius secundum morem purificarentur. (v. 56) Hi igitur congregabantur in templo et mutuo colloquebantur de Domino nostro, disputantes inter se num propter festi reverentiam ascenderet, an

[1] In ms. perperam: *in Galilaea.*

omitteret venire insidias inimicorum praecavens. Erant autem verba ista desiderantium eum videre. Merito enim propter patrata miracula adhaerebat ei turba. (v. 57) *Dederant ergo pontifices et Pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet eis, ut apprehendant eum.*

[Cap. XII, v. 1]. — *Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam,* ad vicum Lazari, Marthae et Mariae, ubi suscitavit Lazarum ex mortuis. Ipsi vero, prout solebant eum magna cum sollicitudine recipere, fecerunt ei etiam tunc cenam, et ministrabat Martha. Discumbebat vero cum eo Lazarus. Et sumpsit Maria alabastrum unguenti optimi, pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis. Quod videns, Iudas qui erat eum traditurus, cum non posset mirari huius mulieris fidem eiusque amorem, ob quae tanto honore usa est erga Dominum, et pariter ob magnum suum amorem etiam capillos capitis sui servire fecit, ipse murmurabat, quasi haec mulier quaesiisset, ut odor corporis Domini nostri adhaereret carni suae. Nam quia semper studebat esse apud eum, amore hoc fecit; unde cum fieret ut longe ab eo sit, per istud credebat eum semper esse secum. Igitur tamquam de prodigalitate increpabat Iudas hanc mulierem, dicens: v. 5) *Quare hoc unguentum non venit * trecentis denariis, et datum est egenis?* Attamen evangelista non tantum quae dixit refert, sed et intentionem verborum eius explicat, addens: (v. 6) *Dixit autem hoc, non quia de egenis ei sollicitudo erat, sed quia fur erat, et marsupium habens, ea quae in eo mittebantur, portabat.* Ipsis vero factis comprobatum est quod dixit evangelista. Nequidem possibile erat eum, qui ob pietatem curam haberet pauperum, non magis quam omnes pauperes honorare pietatis doctorem. Dominus noster vero, ne sub increpatione relinqueret mulierem ac deinde ne videretur semetipsum quaerere, modeste verbis benignis excusavit mulierem, implicite ostendens simul intentionem illius qui videbatur eam accusare. Igitur figurate haec verba ad eum direxit. Quid enim dixit? (v. 7) *Sine illam ut in diem sepulturae meae servet illud.* (v. 8) *Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.* Quamvis posset verbis durioribus uti erga Iudam, increpando

* p. 234.

intentionem qua verba ista dixit et mulierem accusavit, quae tantum amorem erga eum ostendit, — valde audacter vituperabat, cum debuisset eam laudare, si ipse magistrum diligeret; — hoc tamen non fecit. Excusavit vero mulierem, dum figurate improbavit illum. Cum aliquando de passione sua loqueretur, beatum Simonem dicentem: *Absit a te, Domine, non erit tibi ita* [1], dure vocavit Satanam, etsi videretur Simon propter magnum amorem verbum istud dixisse. Sed quando videbat profuturam esse reprehensionem suam illi qui reprehendebatur, et per eum etiam aliis, convenienter usus est duris verbis; * quando autem sciebat hoc nullius fore utilitatis, bene locutus, a superfluo omnino abstinuit. Hoc ergo dicit: Quare reprehendis eam quod hoc fecerit, cum deberes eius actionem laudare deberetque tibi esse acceptus amor eius erga me? Etiam si aliud non foret, quod tibi suaderet ut admirares quod haec mulier fecit, tamen quia ad passionem accingor, deberes, saltem humano sensu compatiendo, cogitare quid magnum esse honorem exhibitum viro mox morituro, quando ipsi inimici frequenter solent reconciliari cum morientibus atque deponere odium suum erga illos. Quia igitur et ego mox gustabo mortem, cogita illam, iuxta morem inter homines vigentem, pro sepultura mea effudisse hoc unguentum. Aut credisne me forte indignum sepulturae huiusque curae? Igitur quia haec non poterit erga me facere, — tunc enim istis non erit occasio; neque ut hoc agat tempore funerationis meae, neque ut die tertio inveniat in sepulcro mortuum ut more solito hoc erga eum facere possit; — cogita ergo per actionem praesentem debitum officium esse adimpletum, et relinque mulierem irreprehensam. Hoc significare vult dicens: *Sine illam ut in diem sepulturae meae servet illud.*

v. 8) *Semper enim pauperes habetis vobiscum.* Si, inquit, vere ob misericordiam erga pauperes sollicitus sis, tempus multum tibi superest ut eis benefacias; numquam enim deerunt tibi in mundo. Ut autem officio erga me fungaris, haud semper facile erit tibi; tempore enim brevi adhuc * vobiscum sum, et postea proficiscar. Verbis ergo istis primo mulierem

* p. 235.

* p. 236.

[1] Matth., xvi, 22.

purgavit a vituperatione, modeste dicendo sibi maiorem honorem esse tribuendum quam pauperibus, quia adhuc per breve tempus apud eos erit; deinde figurate etiam increpavit intentionem Iudae, quia de pauperibus minime erat sollicitus, nec propterea causam vituperii ob effusum unguentum contra 5 mulierem allegabat.

Haec referens beatus Matthaeus [1], admodum cursim memoriae demandavit: nec dixit quae fuerit mulier quae unxit unguento, sed simpliciter, tacito nomine, dixit mulierem quamdam; nec eum qui exprobraverat denuntiavit esse Iudam, 10 sed simpliciter dixit esse communem discipulorum sermonem, non omnes accusare volens, sed ingenue referens historiam. Beatus vero Iohannes etiam per hoc vim amoris sui magni erga Christum demonstravit: nam neque consensit non meminisse mulieris illius, quae hac actione amorem suum erga Dominum 15 nostrum ostendit; neque voluit haud aperte aperire et confundere voluntatem traditoris, ut utrumque notum faciat generationibus futuris, hanc manifestans per opus virtutis, illum vero confundens propter audacem ipsius intentionem. Hoc autem adhuc notandum est, scilicet Matthaeum quidem 20 dixisse illam super caput eius effudisse unguentum: Iohannem vero pedes eius illam unxisse capillisque extersisse. Unde evidens est illam utrumque fecisse: et caput unxit et pedes. Hoc autem beatus Matthaeus cursim retulit, ideo de capite tantum locutus est. Iohannes vero, quia illud dictum erat, hoc autem 25 omissum erat, cum tamen magnae erga Christum dilectionis demonstratio esset in eo quod etiam pedes unxit atque capillis extersit, hoc esse recolendum congruum censuit.

* p. 237. * Compertum est ergo Iudaeis Iesum iterum Bethaniae esse et apud Lazarum eiusque sorores habitare, atque tunc cum 30 eis esse. Multi vero veniebant, (v. 9) *non tantum propter Iesum,* quem videre cupiebant, *sed etiam ut viderent Lazarum quem suscitavit a mortuis.* Fortasse etiam quidpiam novi ab eo audire exspectabant, ut qui a regione extranea et remota ab humano consortio rediret. Quamobrem principes sacerdotum 35 eum viderent Lazarum videndi cupiditate maxime trahi popu-

[1] XXVI, 6-13 (cf. MARC., XIV, 3-9).

lum, de Lazaro quoque una cum Christo interficiendo cogitabant: perspectum scilicet habentes, non in Lazari visione turbas subsistere, sed cum illum viderent per ipsum ad Christi fidem eas adduci; quasi qui semel ipsum suscitaverat, iterum 5 ad vitam eum revocare non posset.

Cum ergo Iesus ingressurus esset in Ierusalem propter festum, turbae (v. 13) *acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Beatus Matthaeus dixit [1] et a 10 pueris dicta esse verba laudis, propter quae murmurabant principes sacerdotum et Pharisaei, vituperantes Dominum nostrum quasi ipse facti huius causa esset. Igitur ad verbum prophetae remisit eos, scilicet: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* [2], significans illos, viso opere et pro-15 phetiae eventu, non oportere increpare quae ibi fuerunt praedicta atque heic adimpleta. Iohannes autem hoc non dixit, sed tantum narrat turbam processisse obviam ei, refertque eorum verba, ceteris omissis utpote a beato Matthaeo iam relatis [3]. Narrat etiam Matthaeus non simul evenisse utrumque; sed 20 postquam egressa est multitudo * obviam ei atque excepit eum, * p. 238. tunc erupisse iubilum infantium, post ingressum scilicet in templum. Etiam beato Iohanni conveniens visum est recolere ingressum eius, tum propter ordinem eventuum, tum ut manifestaret rationem quae referetur [4], ubi etiam causa quae movit 25 turbas ad procedendum obviam ei apparet esse praestantia (miraculi).

Et propterea cursim dixit: (v. 14) *Invenit asinum et sedit super eum,* ut adimpletionem huius prophetiae clare manifestet, fusiore historia omissa utpote iam relata apud Matthaeum, 30 a quo est sufficienter descripta. Et propter accurationem sermonis addit dicens: (v. 16) *Hoc non cognoverunt discipuli hoc tempore; sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt discipuli quia haec erant scripta de eo: et haec fecerunt ei.*

35 (Hoc addit) ut ostendat iis qui forte legent librum suum.

[1] XXI, 15. — [2] *Ps.* VIII, 2; MATTH., XXI, 16. — [3] MATTH., XXI, 1-11. — [4] Infra, v. 18.

discipulos nihil intellexisse eorum quae eveniebant ante resurrectionem. Supra etiam videtur hoc innuere in verbis quae dixit Dominus noster de resurrectione sua [1].

Postquam ergo manifestavit qualis fuerit ingressus eius, sedens nempe super asinum, ut confirmaret verbum prophetiae; et postquam innuit discipulos nihil intellexisse eorum quae tunc eveniebant in demonstrationem gratiae post resurrectionem receptae, per quam obtinuerunt perfectam omnium scientiam, et ceu complementum quidem hoc inseruit inter verba sua; tunc subiungit dicens quamnam ob causam motae sint turbae ad egrediendum obviam ei: (v. 17) *Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo, quod Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.* (v. 18) *Propterea obviam venerunt ei turbae multae, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* Quia per Adamum ingressa est mors quae omnes sibi subiecit, per prophetas vero * suos audierant et credebant fore ut mors solveretur; cum viderent hoc fieri a Domino nostro suscitante mortuum quatriduanum, tamquam obviam victori mortis, homines opprimentis, ramos palmarum tulerunt et egressi sunt, hymnis congruentibus laudantes eum. Cum haec vero non placerent Pharisaeis, hi sibi invicem obiurgabant quod in vanum insidiarentur ei nihil proficientes, nam universus populus abiit post eum.

* p. 239.

Verbis istis adiungit evangelista Gentiles quosdam fuisse Hierosolymis, qui iuxta morem ascenderant pro festo ut adorarent Deum. Propter miracula quae semper apud Iudaeos fiebant a Deo, magno honore habebatur templum in quo colebatur; atque multi Gentiles, quamvis non perfecte observarent praecepta Legis, ascendebant ut Deum adorarent, festique, quantum possent, essent participes. Illi ergo tunc ibi erant, et quaedam signa audiebant esse facta, quaedam etiam videbant fieri; quapropter accesserunt ad Philippum desiderantes videre Dominum nostrum, ut per eum, tamquam per discipulos, explerent suum desiderium. Philippus autem non credidit decere sibi ut moneret Dominum nostrum circa illos, quia de Gentibus deberet ei loqui, quibuscum secundum

[1] Cf. supra, ad II, 22.

praeceptum Legis non licebat cum Iudaeis communicare, eo magis quod ipse Dominus noster mittens eos in Iudaeam praecepit ne irent in viam Gentium [1], quia hoc tempore ita rem voluit disponere; sed communicavit cum Andrea, et ambo accesserunt ad Dominum, eique dixerunt gentiles quosdam desiderare videre eum. Quid ergo dixit eis * Dominus noster? Ut ostendat se haud aliquid novum audire ab eis, maioraque, quam ea quae volebant ipsi dicere, adventura esse sibi, praedicit futura dicens: (v. 23) *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Iam prope est tempus, inquit, ut coram omnibus clarificer; prope est tempus, ut ad honores natura mea maiores elever. Titulum enim « Filius hominis » de homine, prout iam diversis locis ostendimus, dicit, qui ante crucem omnes humanas condiciones tulit, post resurrectionem autem et ascensionem in caelum, propter coniunctionem suam cum Deo Verbo, ab omnibus creaturis adoratur. Propterea quia factum magnum, novum et mirum promisit, cui videbatur contraria passio futura, addit dicens: (v. 24) *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Attamen, inquit, mors mea non turbet vos: quemadmodum enim granum frumenti solum est priusquam cadat in terram; cum autem ceciderit et corruptum fuerit, in gloriam magnam germinat et duplum fructum profert, coram omnibus per spicas pandens divitias suas, et intuentibus ornatum pulchritudinis suae ostendens; ita etiam circa me cogitate: nunc quidem solus sum, et inglorius inter ceteros obscuros homines reputor ego; cum autem passionem crucis suscepero, in magno honore resurgam, tunc multos fructus proferam, tunc omnes agnoscent me, tunc non tantum Iudaei, sed et omnes homines totius orbis me dominum suum vocabunt, quando ne spiritales quidem potestates recusabunt adorare me. Cum haec de se praedixisset, * quae ipso eventu adimpleta sunt, aperte hortatur discipulos suos ad imitationem, dicens: (v. 25) *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

* p. 240.
* p. 241.

[1] MATTH., X, 5.

Ergo, inquit, non tantum propter passionem meam non oportet vos scandalizari, et propterea dubitare de verbis meis, quorum postea videbitur eventus; sed oportet vos etiam paratos esse ad hoc, ut eadem patientes, iisdem fruamini. Qui enim heic videtur sollicitus esse de anima sua, nolens eam tradere probationibus, perdit eam in futuro saeculo; qui vero odit eam et in praesenti saeculo tradit eam tribulationibus aliquando sibi incumbentibus, fructus multos eidem congregat. Hoc autem ait, non quasi anima quid hic pateretur; sed amorem animae vocat opinionem illam inter nos regnantem, quasi nos caveamus animae nostrae eamque servemus, si custodiamus corpus nostrum ab instantibus quibuslibet periculis. Deinde eos cum pudore incitat dicens: (v. 26) *Si quis mihi ministrat me sequatur.* Si quis velit esse servus meus, opere ostendat se post me venire. Et quodnam est lucrum illis qui tecum affliguntur? Respondet: *Et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Qui partem mecum habet in tribulationibus, inquit, partem habebit mecum etiam in honore; et in futuro saeculo in aeternum mecum erit, gaudens mecum in regno caelorum. Tanto enim honore Pater honorificabit illos qui mihi fideliter servierunt.

Postquam ita eos proprio exemplo adhortatus est, confirmans eos in doctrina, iterum experientia sua illustrat verba sua dicens: (v. 27) *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam.* * Sint vobis in doctrinam, inquit, quae mihi contingunt: ecce enim nunc anima mea exspectans passionem, tamquam ipso facto, turbatur. Et quid petam a Patre? Ut liberer atque eripiar a passione? Sed hoc non decet, ideoque nullatenus hoc peto. E contra, quia scio hanc probationem pro veritate esse meliorem, ideo ad hanc exspectationem accessi. Quamvis affligat passio, vincit tamen quod melius est. Et quid hoc sit, non dico. Sed dico: (v. 28) *Pater clarifica nomen tuum.* Hoc, inquit, peto, quod Deo causa est maioris gloriae. Itaque et vos ne timeatis a morte, neque paveatis a probatione tribulationum; sed e contra illa facite quae Deo

* p. 242.

sunt placita eumque magis coram hominibus glorificant, ut omnes per probationes vobis inflictas sciant eum.

Haec cum dixisset, facta est vox de caelo ad confirmandos discipulos de verbis quae ad illos erant dicta: *Clarificavi et iterum clarificabo;* id est, per miracula iam patrata clarificavi meipsum, et iterum per ea quae deinceps facienda sunt manifestabo. Quae enim erga hominem assumptum contigerunt, tum naturam Dei Verbi eum inhabitantis manifestabant, quanta sit dignitas eius qui est causa omnium illorum factorum; tum ipsum Genitorem (revelabant), quippe qui tam excelsam ac miram naturam genuerit. Divisae sunt autem turbae circa vocem quae facta est; alii dicebant tonitru fuisse, alii vero: *Angelus locutus est ei.* Manifestum est haud distinctam fuisse vocem illam; clangore suo tantum stupefecit adstantes. Discipulis vero, ad quos sermo Domini nostri fiebat, per revelationem divinam * notum factum est quod dictum erat.

* p. 243.

Sed dicebat Dominus noster: (v. 30) *Non propter me haec vox venit, sed propter vos.* Non ego, inquit, indigebam hac voce, neque necessaria est mihi ut addiscam me esse glorificandum; sciebam enim hoc futurum esse. Ergo nec petere debebam quod certo sciebam (Patrem) esse facturum. Haec autem vox facta est, ut discatis quisnam sit qui venit, in caelo esse qui loquitur cum eo, atque vera esse verba quae dixi, quaenam demum eventura sint mihi et vobis, si tamen velitis partem habere in hoc consilio.

Postquam ergo Dominus noster tam magnam et indubiam confirmationem recepit coram discipulis suis, — nam deinceps non poterant non credere iis quae dicta sunt, — ostendit passionem suam mundo multorum bonorum esse causam, ne crederetur esse inutilis. Quare adiungit dicens: (v. 31) *Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eicietur foras.* (v. 32) *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Pro mundo fit quod contingit, inquit; totus enim mundus nunc a me iudicatur. Quando nempe creatus est primus homo, per inoboedientiam suam recessit a Deo; et postquam condemnatus est morte, subiectus est Satanae cum omnibus posteris suis, qui propter malitiam suam augmentum

magnum iniquitatis fecerunt, ac dominum tyrannum ac durum super se statuerunt Satanam. Hic semper ad malum consiliarius fuit illis, itaque regnum mortis multiplicatis peccatis semper magis super eos firmabat, atque nullus homo par erat ad aggrediendum tyrannum illum. Pro omnibus ergo hominibus simul veni, tam pro iis qui antea fuerunt, * quam pro iis qui futuri sunt. Non in virtute mea confido, sed per auxilium naturae me inhabitantis spero istud a me esse adimplendum.

* p. 244.

Iudicatus est mundus a me, id est, per me contra Satanam. Peccatum enim et iniquitas potestatem in homines dederunt illi, et omnes mortis vinculis obstrinxit. Ego autem quia integros mores duxi, et tributum legi a Deo positae debitum solvi, atque omnia secundum eius voluntatem et beneplacitum feci; cum ne ulla quidem causa invenienda sit ob quam meruerim mortem, non emigrabo sicut Elias et Henoch, ne mihi soli exinde utilitas habeatur, sed accipiam mortem haud necessitate, quasi illam merear, sed ut ita coram Deo universorum Domino condemnem illum qui mortem intulit. Deus Verbum, qui me assumpsit sibique coniunxit, dat mihi cum fiducia victoriam iudicii. Me enim semel pro semper fecit suum, quando assumpsit me; atque evidens est eum me non derelinquere ne temere agam. Quando ergo omnium Dominus audiet iudicium nostrum, et quando videbit illum iniuste et immerito mihi intulisse mortem, abutendo erga me tyrannide sua, iubebit me a mortis vinculis solvi, ut deinceps habeam fiduciam offerendi Deo supplicationem pro omnibus filiis generis mei, ut qui mecum consortes sunt eiusdem naturae, etiam participes sint resurrectionis; et ita gratia fiet erga omnes homines, quando omnes liberabuntur a condemnatione per victoriam iudicii mei. Tyrannus vero qui in hoc mundo inique illis dominatus est, a principatu suo destituetur. Eripientur enim ab eo vincula, quibus antea homines vinciebat * et postea eos subicere potuit; quia homines, per condemnationem facti mortales, facile ad delicta declinabant; tyrannus vero, multiplicatis peccatis, magis dominabatur eis. Quando ita omnes homines ab eius servitute liberabuntur, sanati per resurrectionem, ad dominum suum revertentur, quia ego post crucem,

* p. 245.

mortem et resurrectionem omnes traham ad me et mihi vivificabo.

Pulchre autem dixit: *Traho*, ut significet se vi eos eripere ab illo qui eos tenebat. Trahit vero omnes, quia omnibus dedit spem resurrectionis, cuius revera postea participes erunt, et quia multis iam in praesenti vita scientiam veritatis largitur. Ab iniquitate enim multa liberavit homines, et a variis nequitiis per praecepta sua cohibuit eos; totam vero (scientiam veritatis) omnibus dabit perfecte post resurrectionem. Verbis igitur: *Omnes traham ad me*, significat fore ut omnes sibi uniantur per resurrectionem. Non quasi de morte tantum liberet eos atque familiares suos faciat eos, sed etiam quia cognitionem suam perfectam largitur eis.

Ad explicanda verba: *Si exaltatus fuero*, evangelista notat: (v. 33) *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Ad haec vero obiciebat turba: (v. 34) *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum; et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? quis est iste Filius hominis?* Patet exinde Iudaeos magnam habere opinionem de Messia. Hoc enim: *manet in aeternum* dicunt pro « non morietur »; exspectabant scilicet illum, sicut Eliam, remansurum esse immortalem. Non est mirum quod Iudaei circa Messiam diversas opiniones habuerint; * quia ante eventum frequentissime varia fuit eorum opinio quoad prophetias, cum variis modis audirent verba prophetarum.

Quid ergo dixit Dominus noster? (v. 35) *Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* (v. 36) *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Exemplo declaravit se quidem mortem experturum, at in morte non permansurum esse, se ipsum lucem nominando. Quemadmodum enim, inquit, lux haec solaris, postquam decessit, iis qui non vident eam, iam non esse videtur, non tamen penitus extinguitur neque aboletur, sed in propria natura exsistere perseverat et convenienti tempore rursus apparet; sic etiam de me cogitate. Non enim ita morior, quasi in morte permansurus sim, cum neque corpus meum corrumpendum sit, sed anima paulisper decedente, mox iterum cor-

pus resurget, et anima in sua incorruptibilitate perseverat. Itaque in gloria sublimi, quam habebo ex unione mea cum Deo Verbo, tempore opportuno ex alto caelo super omnia apparebo, omnibus revelans dignitatem meam.

Egregie dixit: *Adhuc brevi tempore lumen vobiscum est;* per verba enim: *vobiscum est,* significavit non omnino cessasse neque extinctum esse lumen, sed ab eis discedere. Hanc igitur opinionem habete circa me, neque timeatis quominus mors sit completa mea destructio; sed confidite in doctrina mea, illustremini lumine verborum meorum, accipite scientiam meam, ut ita in me credentes error vos non deprehendat, neque vobis accidat, quod accidit ambulantibus in tenebris qui nesciunt quid * faciendum vel operandum sit. Sed cum futuri sitis mihi in filios, quando per fidem vestram receperitis familiaritatem cum doctrina mea, haec semper lux erit animis vestris; ita ut, etiam si absens reputer, prope tamen adsim vobis per doctrinam verborum meorum; atque semper illustrabimini per veritatem, qua privari non poteritis, quamdiu memoria verborum meorum in vobis erit.

* p. 247.

v. 36) *Haec locutus est Iesus, et abiit et abscondit se ab eis.* Manifesto se rite servabat in passionis diem, quae erat dies Paschatis, in qua novum pascha facturus erat, loco agni Iudaeorum agnum rationalem pro peccato mundi semetipsum offerendo. Quemadmodum enim se servabat, ne ante congruum tempus sibi aliquid accideret, ita censuit discedendum ab insidiis Iudaeorum etiam ante diem qua decuit eum pati.

His addit evangelista dicens: (v. 37) *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum,* (v. 38) *ut sermo Isaiae prophetae impleretur qui dixit*[1]: *Domine quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Non propterea eos non credidisse vult dicere — quomodo enim potuisset absque eorum voluntate mens eorum coacte abduci per prophetiam? — sed non quid novum esse quod Iudaei iis quae facta sunt non crediderint; nam a multo iam tempore praedictum est ac notum. Citavit igitur Isaiam prophetam,

[1] Is., LIII, 1.

quippe qui praedixerit difficile esse ut inveniantur credentes inter Iudaeos.

Sed et aliud testimonium refert ad confirmandum verbum suum: (v. 40) *Excaecate oculos eorum, et indurate cor eorum, ne videant oculis et intellegant corde, et convertantur et sanem * eos*[1]. Deinde addit: (v. 41) *Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius et locutus est de eo.* Quando enim vidit Dominum exercituum sedentem super thronum altum et excelsum, et Seraphim circum eum laudantes ac Sanctum proclamantes, tunc dixit [Dominus] ei: *Vade, dic populo huic: Auditu audietis et non intellegetis, et visu videbitis et non videbitis* et cetera[2]. Heic dixit beatus Iohannes gloriam Messiae visam fuisse ab Isaia. In Actis autem Apostolorum beatus Paulus dixit [Spiritum] visum fuisse; dixit enim Iudaeis: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam contra patres vestros dicens: Auditu audietis et non intellegetis* et cetera[3]. Quid est ergo hoc? In visione spirituali, in revelatione naturae divinae, quae incomprehensibilis est, vidit Isaias gloriam, quam, cum sit communis Patri, Filio et Spiritui sancto, non explicat Scriptura utrum gloria sit Filii an Spiritus sancti, et ideo nec evangelista aut apostolus contrarius est in eo quod alter dicit huius, alter vero illius. Notemus etiam hoc: beatus Paulus in epistula ad Romanos[4], volens ostendere iamdiu revelatam fuisse prophetis incredulitatem et reprobationem Iudaeorum, iisdem testimoniis [sus est][5]; ut sciatur et beatum Iohannem eodem scopo, postquam narravit quae dixit, haec addidisse, ut confirmaret vituperationem incredulitatis Iudaeorum.

* p. 248.

Dixit igitur: Multi ex principibus, qui crediderunt in eum, propter Pharisaeos abscondebant opinionem suam de illo, quia timebant ne deciderent ab honore suo, et quia magis aestimarunt gloriam hominum quam gloriam Dei. Quid ergo dicit Dominus noster? Quia * quidam vere crediderunt, alii autem nequidem patrata miracula admiserunt, alii demum ex mira-

[1] Is., VI, 9-10. — [2] Is., VI, 1 sq.; citatur v. 9. — [3] *Act. Ap.*, XXVIII, 25-26. — [4] *Rom.*, X, 16. — [5] Verbum ܐܬܚܫܒ videtur huc irrepsisse loco alius, cuius sensus in contexta oratione evidens est.

culis cognoverunt veritatem, sed opinionem suam abscondebant propter timorem Pharisaeorum, prosequentes gloriam humanam, clamavit et alta voce dixit verba quae suos confirmarent, os vero adversariorum obturarent. Dixit ergo evangelista: (v. 44) *Iesus autem clamavit et dixit: Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me.* Quomodo fit ut qui in eum credit, non credat in eum? At quia supra et infra, quasi Deum et Legem vindicantes praetendebant persequi eum, ut excludat illorum praetextam causam, atque solvat dubium eorum qui in eo crediderunt, dicebat: *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me.* Ad illum vos elevo, hic est scopus verborum meorum. Ergo qui credit in me, per me cognoscet Patrem. Nolite igitur putare rationem illam excusare inoboedientiam vestram. (v. 45) *Et qui videt me, videt eum qui misit me.* Huic videtur contradicere quod antea dictum est. Illud enim differentiam magnam indicat, hoc autem similitudinem perfectam significat. Qui enim per hunc videt illum, evidenter per similitudinem ad visionem accedit. Sed quia verba illa dixerat ut auferret causam excusationis eorum, ne ad nimiam humilitatem sese dimitteret per illa, indicavit similitudinem suam addendo haec: *qui videt me, videt eum qui misit me.* Per utrumque vero ostendit se non a Patre removere eos; illa quidem priora dixit propter incredulos; haec autem nunc accuratius exprimit. Veritas enim similitudinis eius evidenter toti coetui credentium largiebatur
* p. 250. scientiam * et minime eos a Patre removebat.

Quid ergo dicit? (v. 46) *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Vices lucis ergo adimpleo pro vobis per adventum meum, ut vos instruam circa me et circa Patrem, perinde ac lux quae statim atque oritur ipsa videtur, et illa quae illuminantur. (v. 47) *Et si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non iudico eum; non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Si quis, inquit, non audit verba mea, aut cum videatur audire non servat ea, a me non iudicatur. Ego enim veni salvare eum, et hic est finis adventus mei. Quid igitur? (v. 48) *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.* Quisnam est ille? *Sermo,* inquit, *quem locutus sum, ille iudicabit eum*

in novissimo die. Et quisnam est sermo, a te dictus, qui iudicet? (v. 49) *Ego,* inquit, *ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.* (v. 50) *Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.* Verba plura videntur sibi invicem contradicere, si seiuncta a contextu et sola examinentur.

Et primo quidem: *Ego non iudico.* Quomodo non opponitur illi: *Omne iudicium dedit Filio*[1]? Quomodo etiam non contradicit isti: *In iudicium huius mundi veni*[2]? Similiter « *sermo* » quem locutus est, quomodo iudicat non habens personalem subsistentiam? Quomodo hoc possibile est, cum nec in loco iudicis sedeat? Attamen iudicat eo quod nullam incredulis excusationem relinquit. Iterum ergo oportet quaeramus quis sit ille iudex, qui absque excusatione iuste punitioni tradat illos, quia propter stultitiam verborum suorum * et propter contentionem * p. 251.
voluntatis suae non crediderunt eis quae dicta sunt. Quis itaque est iste? Manifesto ille qui, prout dixit, accepit omne iudicium. Sed nunc dixit: *Ego non iudico.* Ergo quod pluries iam observavimus, utitur figuris propter incredulitatem Iudaeorum, sive loquendo de gloria sua, sive in vituperatione eorum quod non receperint duritiem eorum quae dicebantur. Idipsum hic invenimus.

Quapropter oportet scopum verborum consideremus. Vult igitur dicere: Hic est scopus adventus mei, salus omnium. Vos autem non credentes condemnabimini, sed non a me, quia hoc est contrarium passioni meae, neque hoc volo. Propter mentem vestram condemnabimini ipsis verbis meis, quae nullam excusationem relinquent incredulis in die iudicii. Haec autem sunt verba illa quae pluries dixi, scilicet me nihil Patri contrarium velle, neque intendere mihi soli congregationem constituere. Omnes autem vos semper per verba mea ad eum adducebam dicendo: Ab eo missus sum, et ab eo accepi mandatum ut quae congruunt vobis dicerem. Propterea vobis dixi verba convenientia eius voluntati; atque hoc idem etiam nunc testificor vobis: ab ipsis illis condemnabimini. Non enim

1 Supra, V, 22. — 2 Supra, IX, 39.

invenietur vobis praetextus, quasi Dei honorem vindicetis, nam ego semper ad eum vos adduxi. Hoc enim: *Ego ex meipso non sum locutus,* sicut ubique ostendimus, etiam hic tamquam de oppositione dicit; id est, non dixi aliquid quod meum * tantum sit et extraneum a Patre vel praeter eius voluntatem, quasi vos a Patre amoverem et in congregationem mihi propriam adducerem.

* p. 252.

Oportet demum et hoc notemus. Evangelista, postquam dixit supra: *Haec locutus est Iesus et abiit, abscondit se ab eis,* addidit verba quae nunc explicavimus, eaque retulit tamquam a Domino dicta ad Iudaeos. Sin vero abscondit se, quomodo illa locutus est ad eos? At manifesto illa dixit priusquam se absconderet. Quia autem evangelista complevit subiectum sermonis sui et tamquam ex persona sua vituperavit Iudaeos, quod *cum tanta signa fecisset* Dominus noster, *non crediderunt in eum,* et dein recoluit in confirmationem sermonis sui verba prophetiae, demum addidit etiam quae a Domino nostro ad illos dicta sunt, in validam demonstrationem eorum ingrati animi, ita ut nullam omnino excusationem haberet incredulitas eorum. Recolamus quod iam in descriptione argumenti diximus, scilicet hunc esse evangelistae finem, ut per totum suum librum Iudaeorum incredulitatem accuset.

Explicit liber quintus.

LIBER SEXTUS.

[Cap. XIII, v. 1.] — *Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Deinde ergo transit evangelista ad historiam passionis. Observat autem heic etiam, in quantum est possibile, ne dicat aliquid quod iam ab aliis fuit relatum; nisi cogat eum narrationis series, atque impossibile sit congruum historiae ordinem texere, absque * recordatione eorum quae iam a sociis eius fuerunt narrata. Quando vero refert quae ante passionem facta et dicta sunt a Domino nostro ad discipulos, quae non invenimus ab aliis in eorum libris memorata, ostendere vult Salvatorem nostrum haud praeter cognitionem et exspectationem suam passum esse, sed libera voluntate; quando scilicet voluit, tunc gustavit mortem. Quando enim scribit Iesum dixisse: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et nullus tollit eam a me, sed ego pono eam* [1], ostendit eum haud coacte pati. Et iterum ubi in historia Lazari dicit discipulos timuisse ne, si abiret, occideretur a Iudaeis, ideoque illos verbis timidis cohibuisse eum dicentes: *Nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc* [2], recolit Dominum nostrum respondisse: *Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt* [3]. Quibus verbis manifestat ipsum praesciise passionem suam, atque pati quando vult. Similiter et hic scribens: *Sciebat Iesus quia venit hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem suum,* significare vult eum valde accurate etiam tempus passionis suae atque omnia quae sibi erant adventura cognovisse.

* p. 253.

Dicit haec de homine assumpto. De eo enim, prout supra ostendimus, videtur sermonem facere. Transitum eius ex hoc mundo ad Patrem vocat eius post mortem resurrectionem et in caelum ascensionem. Quia exinde non iam secundum morem hominum conversaretur, neque quae naturam consequuntur toleraret, sed quia Deo Verbo adhaesit, et per hunc accepit accessum apud Patrem, tantus honor ab omnibus * ei debetur; sicut et nunc scimus eum esse adorandum tam ab hominibus quam a virtutibus spiritalibus, prout dicit Apostolus: *Propter quod et Deus superexaltavit eum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Quodnam? *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, omnisque lingua confiteatur Iesum Christum esse Dominum in gloriam Dei Patris* [4]. At oportet totam pericopem recitemus, ut magis sensus illustretur.

* p. 254

v. 1) *Ante diem festum Paschae, sciebat Iesus quia venit hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem suum, et dilexit suos, qui erant in hoc mundo, et usque in finem dilexit eos.* (v. 2) *Et cena facta, cum Satanas iam misisset in cor Iudae, filii Simonis Iscariotae, ut traderet eum,* (v. 3) *ipse autem Iesus quia sciebat quod omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et*

[1] Supra, x, 18. — [2] Supra, xi, 8. — [3] Ibid., 9. — [4] *Philipp.*, ii, 9-11.

ad Deum vadit, (v. 4) *surrexit a cena, et posuit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, praecinxit lumbos suos.* (v. 5) *Deinde immisit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.* Humilitas est principium omnium virtutum; removet enim ab hominibus omnes lites, divisiones et dissensiones; pacem vero et caritatem in eis plantat; ac deinde per caritatem ipsa crescit et augetur. Hoc pluries voluit Dominus noster discipulos docere verbis suis, atque operibus instruxit eos.

Quando ergo in eo erat ut accederet ad passionem, et volebat, tamquam magnum et sublime praeceptum, humilitatem docere eos atque manifestare magnitudinem dilectionis suae erga eos, primo docet * humilitatem opere et deinde proponit admonitionem: (v. 14) *Si ego, Dominus et Magister vester, lavi pedes vestros, quanto magis debetis vos alter alterius lavare pedes.* (v. 15) *Hoc enim exemplum dedi vobis.* Narrans igitur evangelista quid a Domino nostro factum sit ad omnium institutionem, vult pluribus docere nos humilitatis excellentiam. De Domini nostri homine — hic est enim qui et pedes lavabat, — narrat quod, cum post breve futurus esset in excellentia magna, et compertam haberet magnitudinem honoris eiusque imminentiam, seque omnium esse dominum, — coniunctio enim eius Deo Verbo haec omnia contulerat ei, — tamen non superbivit mens eius propter dignitatem suam.

A Deo exivit et ad Deum vadit, id est, sciens se a Deo destinatum ad tantam dignitatem, in qua foret post suam passionem, non superbivit. Quia semel dilexit discipulos suos, quamvis Iudas iam concepisset tetram intentionem proditionis, sublimi humilitate dedit illis argumentum dilectionis suae, lavando pedes eorum et cingendo lumbos suos sindone ad eos abstergendum, nec de opere servili nec de habitu vili erubescens. Haec omnia ordinate narrat evangelista, ut magis patefaceret eius amorem et humilitatem, scilicet ex eius magnitudine, ex voluntate proditoris, quam cum sciret eum concepisse, tamen non recusavit lavare pedes eius; deinde ex ipsa actione, non enim habetur opus vilius lotione pedum, et demum ex modo quo usus est, scilicet * lumbos sindone praecingendo. Sensum igitur verborum oportet examinemus,

quin eorum ordinem consideremus; non enim accurate coordinata et disposita sunt verba in libris divinis. Omnia haec verba interiecta sunt propter narrationis amplitudinem.

Sensus vero huius loci compendiose hic est: Ante festum Paschae, durante cena, surrexit et deposuit sua vestimenta et sumpsit sindonem praecinxitque lumbos suos, et cetera. Cetera autem inter illa sunt dicta, ut diceret eum, quamvis sciret hoc et illud quoad semetipsum, et voluntatem traditoris iam cognosceret, tamen ceterorum et etiam huius pedes lavisse.

v. 6) *Cum autem pervenit ad Simonem,* hic non volebat ut suus magister sibi pedes lavaret. Dominus noster vero dixit ei: (v. 7) *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea;* id est, per hanc actionem volo vos docere, ut ita vos diligatis ac ministretis invicem alacriter. Petrus vero nesciebat talem esse scopum huius actionis. Adhuc vero ei reluctanti dixit Dominus noster: (v. 8) *Non habebis partem mecum, si non lavero te.* Cum autem ex hoc verbo existimaret baptismi loco esse hanc lotionem, et ab ea se sumpturum participationem cum Domino, atque idcirco diceret ut se totum lavaret, si ita res se haberet, Dominus corrigit eius ignorantiam, dicens: (v. 10) *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.* Deinde subiungit evangelista explicando verbum Domini nostri: (v. 11) *Sciebat enim Iesus quisnam traderet eum, propterea dixit: Non estis mundi omnes.* Dominus noster * vero loquens Simoni, dicere vult: Hic non est baptismus in remissionem peccatorum. Hunc enim semel recepistis, neque denuo indigetis altero baptismo, quia mundi estis ex primo iam recepto. Nunc necessarium est ut laventur tantum pedes vestri, cuius facti etiam scopum mox cognoscetis. Receperunt nempe discipuli baptismum remissionis a Iohanne, in quo magis confirmavit eos institutio Domini nostri exhortans eos ad virtutem; eos vero perfecit descensus Spiritus, qui postea venit super eos.

v. 12) *Postquam ergo lavit pedes discipulorum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?* (v. 13) *Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis, sum etenim.* (v. 14) *Si ergo ego vobis lavi pedes vestros, Dominus et Magister vester, quanto magis debetis alter alterius lavare pedes.* (v. 15) *Exemplum enim dedi*

vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. His verbis docuit eos scopum, propter quem lavit pedes eorum. Postquam enim superius dixit ad Simonem: *Scies autem postea,* bene quadrat hoc: *Scitis quid fecerim vobis;* id est, scitote quaenam sit ratio et quisnam sit finis actionis meae. Propterea lavi vobis pedes vestros, ut quod ego feci sit vobis in exemplum, ut vos idem mutuo faciatis. Si enim ego, quem vos recte vocatis dominum et magistrum, dignatus sum lavare pedes vestros, quanto magis oportet vos absque verecundia aut pudore idem mutuo facere.

Atque magis adhuc confirmans verbum suum dicit: (v. 16) *Amen,* * *amen dico vobis: Non est servus maior domino suo; neque apostolus maior est eo qui misit illum.* Evidens est, inquit, vos, servos meos et apostolos, non posse esse maiores me, Domino vestro, qui vos misi. Nam servus, quamdiu est servus, inferior est domino suo; et qui missus est, quamdiu officio legati fungitur, non potest esse aequalis in honore cum illo qui misit eum. Magnum autem ruborem incutiunt etiam haec alia: (v. 17) *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea.* Non sufficit tantum scire, inquit; sed oportet illa scientes faciatis.

Deinde volens significare non ad omnes dirigi suum sermonem, sed tantum ad credentes, ait: (v. 18) *Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*[1]. Haec, inquit, non ad omnes vos dico; scio enim quis ex vobis me traditurus sit, ut et in eo confirmetur Scriptura quae dixit: Ille qui manducat mecum panem, conspirabit contra me, et me tradet extraneis. Non tamquam in prophetia dictum est de eo illud testimonium, sed ex ipsis factis conveniebat traditori. Quam ob causam haec praedixerim declaro: (v. 19) *Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.* Poteram quidem, ait, non revelare quid futurum sit; ne autem credatis me nequidem cognoscere cogitationem eorum qui me sequuntur, atque inscium pudore me affici in vanum per ea quae mihi accidunt, ideo facta ante eventum * praedico, ut, dum evenerint, sciatis quisnam ego sim.

[1] Cf. *Ps.* XL (*Vg.*), 10.

Postquam dixit ad discipulos: *Non est servus maior domino suo, neque missus maior est eo qui misit illum;* et postquam addidit: *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea;* ac demum ostendens se cautum esse in suo sermone, ne credatur inconsulto ad totum populum propalare doctrinam, tamquam additamentum inseruit: *Non de omnibus vobis dico* etc., nunc addit ordinate quoad illa quae supra dixit: (v. 20) *Amen, amen dico vobis: Qui accepit quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Nolite credere, inquit, vos esse contemptibiles ac viles, quia dixi vos esse minores meipso; aut actionem vobis a me commissam esse infimam ac debilem. Quamvis enim ceu apostoli mei sitis mihi inferiores; attamen magni estis quia ego misi vos. Et sicut scopus eorum, quae mihi contingunt, ad Patrem refertur; ita etiam honor eorum, qui mittuntur, communis est mihi et eis; atque ego reputo meipsum receptum, quando aliquis ex eis recipitur.

v. 21) *Cum haec dixisset Iesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis, unus ex vobis tradet me.* Sicut et occasione Lazari dixit eum esse turbatum spiritu, quia praevidit quid futurum esset; eumque ira commotum esse, ut ostenderet eum habere scientiam illorum quae nondum erant ac si iamiam evenissent; ita etiam heic dicit: Indignatus est propter Iudae proditionem, stupens de perversitate voluntatis eius. Verba: *turbatus est spiritu,* etiam heic dixit quatenus per operationem Spiritus, qui in eo erat, * praesciebat quae essent futura. Stupebant ergo discipuli propter istud dictum, et aspiciebant ad invicem. Recumbebat autem in sinu Iesu, id est prope eum, beatus Iohannes, ille idem qui scripsit evangelium. Innuit ei Simon Petrus, utpote viciniori et qui submisse ab eo discere posset, quis eum esset traditurus. Recubuit itaque in pectus Domini ne publice interrogaret eum et ab eo discat. Dominus noster dixit ei: (v. 26) *Ille est cui ego intinctum panem porrexero,* volens facto eum indicare, ut notus fieret et ceteris discipulis. Dedit ei autem panem in accusationem, ut particeps factus in cibo, ne a lege quidem humana erubesceret; sed acceptavit ut sine causa dominum suum traderet inimicis.

Deinde addit evangelista: (v. 27) *Post buccellam, introivit*

in eum Satanas. Quod enim putabat Iudas latere in mente sua et in semetipso revolvi, buccellae traditione omnibus discipulis revelatum est et innotuit. Tantum autem aberat ab admiranda virtute cognoscentis intimas cogitationes, ut cum pudere et erubescere deberet ob publicam reprehensionem, magis e contra in se firmaret voluntatem iniquitatis suae; et quia offensus est vituperatione, accinxit se ut statim crimen suum exsequeretur. Recte hanc cogitationem evangelista vocavit ingressum Satanae, tribuens Satanae confirmationem istius voluntatis. Deinde addit: (v. 30) *Cum accepisset panem, egressus est.* Attamen nondum respiciendum nobis est ad finem passionis, sed a nobis consideranda est voluntas eius inimicorum eiusque proditoris.

* p. 261. Iam per impulsum eiusdem Satanae, * sperantes delere eum, illi secreto decreverant occidere eum, nescientes virtutem et sapientiam eius qui erat in eo qui passus est. At Dominus noster qui hoc sciebat, dixit ei: (v. 27) *Quod facis, fac citius*; id est, quia tibi propositum est et avide studes exsequi tuam perfidiam erga me, itaque non mihi molestum est, si, audito verbo meo, tamen prompte ad exsecutionem deducas malitiam tuam. Discipuli vero non intellexerunt quod dictum est; putabant enim Dominum nostrum ei dixisse, ut emeret aliquid pro festo, vel ut daret aliquid egenis, quia marsupium portabat. Causa autem quare non intellegerent id quod dixit, erat quod cogitationes cordis ipsis erant absconditae. Iudas ergo festinabat facere voluntatem suam; et dum erat nox, egrediebatur ut exsequeretur malitiam suam.

Post haec autem, appropinquante passione, incepit Dominus noster dicere ad discipulos, quae censebat omnino ab ipsis audienda ante passionem. Dicit quidem: (v. 31) *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.* Prope est tempus, quo Filius hominis, qui assumptus est, miro modo glorificabitur, atque maxime etiam Deus, per ea quae ipsi contingunt, coram omnibus manifestabitur. Quae enim evenerunt tempore crucifixionis, dum terra tremuit, lux solis obscurata est, tenebrae operuerunt terram, sepulcra aperta sunt et petrae scissae, cetera demum modo extraordinario commota sunt, ostendebant quanta iam esset et quanta futura esset

huius qui crucifixus erat magnitudo, atque simul causa erant cur homines mirarentur Deum qui tanto * honore Filium hominis dignum fecit. (v. 32) *Si Deus clarificatus est in eo, Deus clarificabit eum in semetipso; et continuo clarificabit eum.* Manifesto, inquit, quantum glorificatur Deus per ea quae erga eum fiunt, tantum etiam hunc glorificat. Haud enim fieri potest ut propter eum mirabilis videatur, nisi magna fuerint quae ipsi contigerunt. Atque haec, inquit, non post multum, sed iamiam ei data sunt.

Postquam ostendit passionem non esse ignominiam, sed e contra sapienti et potenti providentiae inservire, convertit orationem ad discipulos dicens: (v. 33) *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me; et sicut dixi Iudaeis: Quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo.* Illud: *Modicum vobiscum sum,* dicit de tempore usque ad passionem. Iudaeis namque dicens: *Quaeretis me,* subiungit: *et non invenietis me,* quandoquidem non erant amplius eum visuri post passionem. Discipulis vero tantum ait: *Quaeretis me;* nam revera quaesierunt eum, tum quia amore instigati erant ad quaerendum, tum quia cura magistri sui videbant se privatos; atque invenerunt eum. Viderunt enim ipsum post resurrectionem, et cum eo conversati sunt ac comederunt, usque dum in caelum ascenderet.

Sed, inquit, sicut dixi Iudaeis eos non posse venire quo ego vado, *ita vobis dico modo.* Scite addidit *modo.* Dicens enim eos non posse venire quo ipse vadit, significat illos nondum posse ipsius instar adire mortem. Omnes namque fugerunt. Simeon etiam cum iureiurando negavit eum. Addidit autem *modo,* ut declaret eos postea * spreturos esse passiones et probationes; nam post Spiritus descensum etiam gaudebant pro Christo pati, plene confirmati in fide eius et in promisso rerum futurarum. Ergo, inquit, quamvis amore moveamini ad quaerendum me, — scio enim hoc a vobis fieri amore erga me. — attamen non potestis nunc opere probare amorem vestrum. naturali infirmitate suggerente vobis timorem. Haec ergo ita erunt, neque aliter possunt fieri. Quod autem vos doceo sollicite agere, hoc potestis observare si vultis, atque prodest nunc et proderit postea. * p. 263.

v. 34) *Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem.* Quomodo est novum? *Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.* Hoc est novum, et hic est dilectionis modus. In Lege enim iussum erat, ut unusquisque proximum suum tamquam seipsum diligeret [1]; sed vox Domini etiam plus quam nos ipsos, domesticos fidei amari cupit, quia iubet nos imitari amorem suum erga nos. Sequentibus etiam verbis hoc accurate ostendit. Ad ampliandam vero magnitudinem huius praecepti dicit: (v. 35) *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Tanti namque est mandati huius observatio, ut sufficiens signum sit discipulatus mei.

His ergo dictis a Domino, Petrus quoad verba: *non potestis venire,* interrogabat eum dicens: (v. 36) *Quo vadis?* Idipsum autem ei dicit Dominus: *Non potes venire modo, postea autem venies,* id est, quando receperis virtutem resistendi tentationibus; beatus autem Simon cum deberet credere verbo Domini hoc aliter fieri non posse, * e contra dicit: (v. 37) *Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.*

* p. 264.

Quid igitur respondet ei Dominus? (v. 38) *Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges.* Quidam putant huic contradicere verbum Marci scribentis: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus* [2]. Sed oppositio nulla inter haec habetur, si bene intellegantur. Quia nempe in vanum discutiebat Petrus cum Domino nostro praetendens se non esse negaturum eum, atque, si oporteret, cum eo moriturum esse; ipse (Dominus) vero sciens eum certo esse redarguendum abnegatione, unde videretur frustra discussisse praesumens de seipso, fecit ut gallus cantaret. Ne autem, cantu semel edito, putaret Petrus hoc fortuito accidisse, aut ne minime audiret quod accidit, fecit ut iterum cantaret statim ac Petrus protulit prima verba negationis. Et cum ter secundum verbum Domini nostri renegasset, denuo cantavit, quasi testimonium perhiberet de veritate praedictionis. Curae ergo fuit evangelistis hoc tantum manifestare; unde et pariter dixerunt: *Non cantabit gallus, donec ter me neges* [3], volentes significare: quia discutis et putas scire melius

[1] *Lev.*, XIX, 18. — [2] MARC., XIV, 30. — [3] MATTH., XXVI, 34; LUC., XXII, 34; IOH., XIII, 38.

quam me quae futura sunt, definiet discussionem nostram gallus; non enim cantabit iuxta naturae legem, donec cantu suo testimonium perhibuerit de tua negatione, probans veritatem verborum meorum et redarguens arrogantiam tuorum verborum. Haec ergo verba: *non cantabit gallus donec neges,* ita dicit: tempore hoc non secundum cursum naturalem cantavit bis, sed secundum voluntatem et praeceptum Domini ad redarguenda verba * Petri. Postea autem secundum naturae cursum cantavit.

* p. 265.

Marcus ergo, ipso Petro volente, haec magna cum cura descripsit, atque dixit quoties clamaverit gallus in Simonis abnegatione; volebat enim beatus Petrus ut in Scripturis correptio suae culpae manifestaretur.

His dictis a Domino nostro ad Petrum, apostolorum principem, ceteri haud dubitantes de verbis istis timore magno correpti sunt, quasi iam non possent aliquid melius sibi sperare; putabant enim se per abnegationem excludendos fore ab omnibus bonis futuris. Volens hunc timorem dissipare, sermonem suum a persona Petri ad omnes convertit, dicens:

[CAP. XIV, v. 1]. — *Non turbetur cor vestrum,* id est: ne propter iam dicta spem dimittatis, neque corde turbato deficiatis ab exspectatione bonorum futurorum. Quid ergo? *Credite in Deum, et in me credite.* Secternini fidem in me et in Deum, atque recipietis sperata bona cum remissione eorum quae ex infirmitate vobis acciderunt. (v. 2) *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Apud Patrem meum nempe tanta abundantia habetur, ut omnibus dare possit delicias felicitatis aeternae. Mansionem enim vocat perennem requiem, eo quod in propriis domibus requiem tantummodo et felicitatem habemus.

Alioquin dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Secus, inquit, dixissem forsitan vobis: proficiscor paraturus vobis locum. Cum sit hominum moris, ubi spatium arctum est, * in antecessum sibi reservare locum hospitandi: ideo dicit: Forsitan, sicut inter homines consuetum est, loquerer vobis, nisi beatitudo magna parata esset ac servata cuivis

* p. 266.

volenti, dummodo nullus impediat quominus haec bona sibi conferantur.

v. 3) *Et si abiero et praeparavero vobis locum.* Contrarium id esse videtur priori dicto. Ante siquidem, quasi nulla praeparatione opus esset, locutus est: *secus*, inquit, *dixissem vobis: vado parare vobis locum;* heic autem: *si abiero, praeparabo vobis locum.* Quod ergo dicit, est eiusmodi: quantum ad abundantiam bonorum, quae secundum providentiam suam Pater in fruitionem perennem praeparavit iis qui in perfecta virtute vitam ducunt, non opus est ut a me praeparentur vobis; sed oportet ut vos ostendatis bonam voluntatem. Attamen illa ego vobis paro et ad eadem vos invito, quia primus e mortuis resurgam et post ascensionem meam dabo imitatoribus meis habere partem in illis.

Quid enim dicit? *Iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis.* (v. 4) *Et quo ego vado scitis, et viam scitis.* Cum enim, inquit, in caelos ascendendo vobis etiam dederim occasionem et fruitionem omnium bonorum, ut sciatur quisnam eorumdem vobis causa fuerit, iterum veniam — significat secundum e caelis adventum —, et assumens vos iterum ascendam in caelos, ut ubi ego sum et vos mecum sitis perfruentes iisdem bonis, prout etiam dixit Paulus: *si sustinebimus, et conregnabimus*[1], et in alio loco: * p. 267. * *si compatimur, ut et conglorificemur*[2]. Non sicut ipse regnabimus aut glorificabimur; sed eius felicitatis, quantum fieri potest, participes erimus.

Verba: *quo ego vado scitis, et viam scitis,* dicit significans: semper mecum eritis, ex similitudine illorum qui solent incedere per eamdem viam; consuetudo enim eorum perseverans necessario facit eos cognoscere viam. Cum haec adhuc superarent eorum mentes, figurate loquitur.

Quia nullus tunc discipulorum haec verba intellegebat, respondit Thomas dicens: (v. 5) *Domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* Quid ergo Dominus? (v. 6) *Ego sum via, et veritas et vita.* Labore vobis non est opus, ut viam cognoscatis. Ad doctrinam meam accedite, ut per me

[1] II *Tim.*, II, 12. — [2] *Rom.*, VIII, 17.

cognoscatis veritatem, et recipietis vitam aeternam ac fruemini bonis aeternis. Vobis ero viae instar, ut per me, tamquam per ducem et viam, perveniatis ad fruitionem bonorum. Atque confirmando verbum suum addit: *Nemo venit ad Patrem meum, nisi per me.* Non potestis Patrem cognoscere nisi per me, inquit, neque aliter apud ipsum amicitia donari. Et quia dixit Thomas: Nescimus viam, voluit tam ipsi quam aliis ostendere, eos hucusque nec accurate nec debite cognoscere, ne illud quidem quod putabant cognoscere, ipsum scilicet et Patrem. Addit enim: (v. 7) *Si cognovissetis me, et Patrem meum cognovissetis;* nunc autem neque me cognoscitis neque Patrem. Utrumque vobis necessarium est, scilicet, ut me cognoscatis, ac per me recipiatis cognitionem Patris.

Deinde, quia palam locutus est de iis quae * proxime * p. 268. evenient, consolatur eos per ea qua futura sunt, dicens: *et amodo cognoscitis eum et vidistis eum.* Prope est iam tempus, inquit, quo cognoscetis Patrem quantum fieri possit per fidem. Loquitur autem de tempore descensus Spiritus, a quo receperunt omnem scientiam.

His ergo humano modo auditis, dixit Philippus: (v. 8) *Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Quid ergo respondit Dominus? Quia Philippus hoc dicens satis inquisivit circa verba ad eos dicta[1], respondit ei: (v. 9) *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe?* Ita, inquit, neque tantum tempus suffecit, ut circa me et circa Patrem doceret te, ut adhuc existimes te videre eum posse? Si enim me cognovisses, utrumque tibi fieret, scilicet, ut et Patrem per me cognosceres, et non existimares oculis corporis videri eum posse. Quia autem verbis istis: *Ostende nobis Patrem,* non videbatur convenire hoc: *non cognovisti me?* clare hoc explicat dicens: *Qui videt me, vidit et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?* Nulla est differentia, inquit, ita ut qui vidit me, videat ipsum Patrem. Similitudo

[1] Clarior et secundum contextum aptior est graecus textus, qui a Corderio latine sic redditur: « Ut qui verbis suis, quae ad ipsos habuit Dominus, sufficientem Philippo rei huius demonstrationem praebuisset, ait... » (*Patr. Gr.*, LXVI, col. 775).

enim perfecta inter nos ambos, in me ostendit ipsum Patrem meum.

Pulchre autem subinfert: *Quomodo tu dicis?* quatenus expressa admiratione confirmat supra dicta. Quomodo tu dicis, inquit, ut ostendam tibi Patrem, nisi quia me penitus ignores? Ergo verum est quod dixi: *Neque me novistis, neque Patrem meum; si enim me cognovissetis, utique et ipsum cognovissetis*, quia perfecta similitudo ostendisset eum. Et quia dicta ista * p. 269. non intellegentes, eo magis dubii haesitabant, * vituperando Dominus ad eum dicebat: (v. 10) *Non credis quia ego in Patre meo, et Pater meus in me est?* In omnibus praedictis, maxime autem hic, clare ostendit se loqui de similitudine. Nam eodem modo sermonem convertens ad se et ad Patrem, revelat similitudinem perfectam naturae, utpote sic ipso in Patre et Patre in ipso inexistente, ut utriusque in altero similitudo perfecta ostendi possit.

Deinde dicta sua probat atque confirmat, dicens: *Verba, quae ego loquor, a meipso non loquor.* Si non credis, inquit, iis, scito tantam esse naturae ac sententiae virtutisque conformitatem, ut neque verborum sit differentia; sed quaecumque loquor, communia sunt, et non mea tantum loquor. *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Dicto: *ego non loquor*, oportebat adiungere: *pater meus loquitur.* Sed supra dixit: *verba quae ego loquor*, heic vero: *pater operatur*, ut ostendat naturam esse communem, et verba esse communia, insuper et opera esse communia. Hinc patet etiam, ipsum per verba: *a meipso non loquor* non significare statum inferiorem, sed communionem perfectam et unionem inseparabilem; atque hoc maxime apparet ex contexta oratione. Verumtamen non est mirum quod, dum in eo erat ut pateretur et cum plura iam dixisset tamquam homo, inde transierit ad verba divinae suae naturae convenientia. Necessarie enim haec verba ad discipulos erant dicenda, ut postea recolentes verba sibi dicta, recepto eorum sensu, possiderent in sua mente perfectam scientiam; sicut etiam quoad resurrectionem, verba prius audita non cognoverunt, postea vero intellexerunt. Insuper et propter * p. 270. * aliam rationem illa erant dicenda; scilicet, quia volebat ostendere discipulis tantum abesse ut mysteria aliquot noverint, ut ne ipsum quidem noverint quem cognoscere credebant; hoc autem non poterat aliter manifestare quam per verba respicientia suam divinitatem, quae adhuc magis latebat mentem eorum.

Deinde idem dicit: (v. 11) *Credite quia ego in Patre, et Pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite.* Quod si, inquit, similitudo ista, de qua locutus sum, altior vobis appareat ut credatur; saltem magnitudo operum meorum et modus quo illa omnia feci in hominum utilitatem, vos convincant de iis quae dicta sunt. At quomodo poterant haec probare similitudinem eius cum Patre, aut eum esse creatorem caeli et terrae et totius universi? Quod ergo dicit hoc est; designabat nempe divinae naturae similitudinem cum Patre. Non enim assumptus homo poterat dici similis Deo Patri. Miracula autem, ab homine facta, manifesto superabant naturam eius qui illa faciebat. Si ergo, inquit, tantam potestatem ei tribui, considera quis in eo habitet, annon sit perfecte similis ei, qui omnia quae vult et prout vult operatur per innatam suam potestatem.

Ideo exaggerans hunc suum sermonem, ait: (v. 12) *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.* Nolite mirari, inquit, videntes eum illa facere; ecce enim et qui credunt in eo recipient virtutem faciendi opera illis maiora. Quomodo, declarat * dicens: *Quia ego ad Patrem vado*; (v. 13) *et quodcumque* * p. 271. *petieritis in nomine meo, faciam vobis, ut glorificetur Pater in Filio suo;* quia, inquit, hic per me recipiet post passionem adhaesionem cum Patre. Diximus enim supra [1] verba illa: *vado ad Patrem*, ad hoc referre. Obtenta enim ista adhaesione, habebit potestatem dandi omnia petentibus se; quia petentes, petunt propter magnitudinem habitantis in eo. Hic autem propter illum dare potest, ut omnino cognoscatur Pater in Filio tamquam excelsus et mirabilis. Similitudo igitur et magnitudo illius innotescit per ea quae homini contigerunt et, eo mediante, ceteris contingent. Huius vero similitudo indicat gloriam Patris, qui naturam tam mirabilem sibique similem gignit. Utrobique, sive de divinis sive de humanis agatur,

[1] Cfr supra ad cap. VII, 33.

ponit pronomen « ego », ita ut sensus dictorum cognoscatur e contextu, differentia autem naturarum e differentia verborum. Ex eo vero quod utrobique tamquam de uno loquitur de semetipso, manifestat adhaesionem personae; quod nisi esset verum, neque honoris aliquid foret ei qui est assumptus, quemadmodum evidenter in omnibus partem habet propter habitantem in eo.

Et confirmans iterum iam dictum, addit: (v. 14) *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Nolite, inquit, de hoc dubitare. Atque iterum docens eos quomodo oporteat petere et quomodo futurum sit ut obtineant, dicit: (v. 15) *Si diligitis me, mandata mea servate.* (v. 16) *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Vos, inquit, rogare convenit primum diligendo * et mandatorum meorum observatione dilectionem manifestando; atque ita dispositis Spiritus sancti gratiam praebebo, ut illum vobiscum semper habeatis, semper docentem vos veritatem. Alium autem dicit Paraclitum, id est, alium praeceptorem; paraclitum vocans, id est consolatorem, doctrinam in angustiis; quia Spiritus, sua gratia, leviora reddet quae illis ab hominibus inferentur mala, et, consolationis instar, per dona sua faciet illos leviter ferre mala, sicut de facto contigit. Nam quantum discipuli prius timebant mortem, tantum post descensum Spiritus gaudebant in tribulationibus suis. *Spiritum* autem *veritatis* vocavit eum, ut qui nihil praeter veritatem doceat, nec unquam suscipiat in contrarium mutationem, ita ut aliquid aliud doceat veritati alienum. *Alium* vero dicit, significans se, dum erat apud eos, idem officium erga eos explevisse. Insuper et omnium illorum, quae praesens verbis suis docuerat, revera receperunt confirmationem a Spiritu sancto, prout etiam Dominus noster dixit: *Accipietis virtutem venientis Spiritus sancti super vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in Iudaea, etiam inter Samaritanos et inter omnes gentes* [1].

Observandum etiam est verbum istud: *ego rogabo* figurate dici pro: per me accipietis gratiam. Non enim rogaturus erat ut

[1] *Act.*, I, 8.

acciperent, prout manifestum fit ex eo quod ita apud Deum praedestinatum erat eventurum in nostram utilitatem, atque promissum erat, prout etiam Dominus noster dixerat Apostolis ut exspectarent promissum Spiritum quem audierunt [1]. Quod si * promissum esset donum, superflua erat promissorum postulatio. Ideo notum est quod dicit. Aptissime autem et valde opportune recoluit donum Spiritus. Nam quia dixit (v. 12): *qui credit in me, opera magna faciet,* docens eos quomodo hoc futurum sit, declarat (v. 13 sq.): Ego post resurrectionem adhaesionem perfectam cum Patre recipiam; vos autem recipietis donum Spiritus per fidem et dilectionem erga me; quo concesso, miracula magna et multa facietis.

Ideo ad ostendendam magnitudinem doni eis largiendi, dicit: (v. 17) *quem mundus non potest sumere* [2], *quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet et in vobis erit.* Tam mirum est, inquit, donum Spiritus, quem accepturi estis per me, ut mundus universus, etiam in unum coniuratus, nequeat sumere eum, nisi sponte sua descendat super eos. Non enim dixit: *quem non potest accipere,* sed: *quem non potest sumere;* id est, nemo potest detinere eum, ne totus quidem mundus simul, nisi per gratiam suam super illum, qui dignus est, descendat per voluntatem suam aut per voluntatem Patris. In hoc enim non habetur differentia, quia et utrumque in libris divinis dicitur; declarat nempe Apostolus: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* [3].

Quapropter confirmans verbum suum, dixit: *quia non videt eum, nec scit eum.* Quod enim est supra visum et intellectum eorum, cuius natura est abscondita et incomprehensibilis cogitationi creaturarum, quomodo posset exprimi scientia eorum? Vos autem quod incomprehensibile est cognoscetis et accipietis per me. Non dixit: * etiam videbitis eum; hoc enim est impossibile.

Et quia adhuc longe erat tempus elargiendi Spiritus, dicit:

[1] *Act.*, I, 4. — [2] Evangelicus textus λαβεῖν. Vulg. lat. *accipere;* Theodori lectio ܠܡܣܒܗ, sed Pešitta ܠܡܩܒܠܘܬܗ. Interpres immoratur in distinctione inter utramque vocem. — [3] I *Cor.*, XII, 11.

(v. 18) *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos paullo post* [1] (v. 19) *et mundus me iam non videbit. Vos autem videbitis me, quia ego vivo, et vos vivetis.* Ordinem et veritatem verborum ipse eventus demonstrabit. Nolite timere, inquit, ne tempore quidem intermedio vos derelinquam sine cura. Veniam egomet ipse ad vos; et prout dixi: Mundus, id est, ceteri homines, brevi tantum tempore vident me; vos autem iterum videbitis me postquam resurrexero, ut haec visio vestra testetur me iterum vivere. Et non tantum videbitis me vivere, sed idem etiam vobis continget. Quando enim surrexeritis et vos post mortem tempore opportuno, vivetis et secundae vitae consortes eritis.

Hoc autem *quia ego vivo*, non causaliter dicit, id est: videbitis me propterea quod ego vivo; sed significare intendit: hoc ipsum videbitis, et hoc videntes cognoscetis me ex mortuis resurrexisse ac vivere, neque remansisse morti subditum, prout plures credunt.

v. 20) *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Tunc, inquit, ex ipsis factis tantum comperietis vera esse quae dixi, de quibus nunc dubitatis. Hoc quod dixi: *quia ego in Patre,* per aequalitatem naturae et inseparabilem coniunctionem, quando ita apparebo; *vos autem in me,* per fidem et dilectionem erga me, quando in caritate, insuper dono Spiritus, mecum consortes efficiemini; *et ego in vobis,* hoc siquidem adhaesio efficiet, quando * virtute Spiritus regenerati, eritis mihi in corpus, et ego vobis ero in caput, prout dictum est: *Ipse est caput Christus ex quo totum corpus compactum et conexum secundum mensuram Spiritus, a quo datur omnibus membris et crescit in augmentum Deo* [2].

Illis dictis ad discipulos, — erant autem non pro eis tantum, sed pro omnibus qui in caritate vera credituri sunt in eo, — ne crederetur donum Spiritus ipsis solis reservatum, maxime quia post resurrectionem suam eisdem tantum apparuit, ut ostendat igitur eos non propterea dignos esse excellentiore dono, quasi illi qui non viderint eum postquam resurrexit, privandi forent dono isto, dicit: (v. 21) *Qui habet mandata*

[1] Haec est interpunctio Pešittā. — [2] *Eph.*, IV, 15-16; pro ultimis verbis cf. *Col.*, II, 19.

mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum; id est, etiam quicumque diligit me et servat praecepta mea, fruetur amore meo et Patris, obtinebit insuper visionem in scientia, neque detrimentum patietur ex eo quod non vidit me in corpore, nam et illa visione fruetur tempore debito, quando videbit me venientem e caelo.

At Iudas, non ille traditor, cum non intellexisset verbum istud, dixit ei: (v. 22) *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum et non mundo?* Putabat nempe propter dicta illa omnes, exceptis ipsis (Apostolis), privandos fore bonis futuris. Dominus noster autem explicans verbum suum, ait: (v. 23) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Dixi iam, inquit, nullum volentium a me privatum iri * praemio virtutum. Quicumque enim vult, potestatem habet fruendi bonis futuris. Qui igitur diligit me et servat omnia quae praecepi, non solum visu revelationis meae non privabitur, sed insuper fruetur amore nostro; veniemus enim et apud eum mansionem faciemus ego et pater meus, semper apud eum mansuri et valde solliciti curam eius acturi. (v. 24) *Qui non diligit me, sermonem meum non servat;* id est, qui non diligit me, mandata mea non servat. Postulabat contextus ut diceret: neque fruetur bonis. Sed abstinuit ab hoc verbo et omisit hoc, ut ex ipsa contexta oratione innotesceret. Et quia dixit: qui servat sermonem meum, diligetur a Patre, et hic et ego veniemus apud eum, ad hoc confirmandum addit: *Et sermo, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.* Quomodo fieri potest, ut quae diceret non essent sua? At significabat illa non esse sua tamquam a Patre aliena; sed communia sunt, inquit, et mei et Patris. Propterea ambo simul praemio donabimus eum. Sensus igitur consequentia haec est. Verba autem: *qui non diligit me, sermonem meum non servat,* in medio sunt posita, et ostendunt eum velle aliquid dicere ad illos qui ex adverso stant. Dictum est autem hoc in medio inter alia, quia nolebat hoc manifesto dicere propter duritiam verborum, quae coactus erat proferre contra incredulos. Ac propterea, ante finem sui sermonis, alludit tamquam sub silen-

tio ad iudicium futurum, quia censuit momentum nondum esse opportunum, ut fusius de eo loqueretur.

v. 25) *Haec locutus sum vobis apud vos manens.* (v. 26) *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia,* * *quaecumque dixero vobis.* Sed, inquit, haec locutus sum vobis, ut sciatis quid oporteat vos observare, quamdiu vobiscum sum. Cum enim ascendero in caelum ac vos receperitis gratiam Spiritus, tunc per operationem Spiritus multa nondum nota addiscetis. Dum loquitur de emittendo super eos Spiritu, manifesto haud designat naturam Spiritus; non enim utpote extra mundum exsistens, tunc venturus est super homines. Sed ita designat Spiritus gratiam et operationem erga credentes, quae crescit et interdum extinguitur, quando scilicet qui eam receperunt, non remanent digni, prout dixit Apostolus: *Spiritum nolite extinguere* [1]. Non enim de natura Spiritus hoc dicebat, quia nequit humana iniquitas minuere naturam Spiritus. Sin vero etiam ad verba naturae eius convenientia accedebat (quandoque Dominus), convenienter hoc faciebat, ut ostenderet magnitudinem eius quam aliter non poterat notam facere, nisi diceret verba naturae eius consentanea; prout etiam de seipso, in quantum homine, loquens, transibat ad naturam suam divinam, ut inde clare manifestaret magnitudinem suam.

* p. 277.

Quid ergo sollicite peto ut faciatis? (v. 27) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hoc, inquit, possidete, et in hoc curam vestram apponite, ne inter vos divisi sitis, sed magna inter vos regnet consensio ad bona; haec est enim pax mea. Non qualem possident ceteri homines, qui valde sollicite sibi mutuo adiuvant ad facienda mala.

* p. 278.

Deinde quia tristes erant * dum audiebant eum loqui de passione et separatione, nescientes quid ei et sibi in oeconomia salutis futurum esset, dicit eis: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* At quomodo possibile erat, ut istis verbis non turbarentur? (v. 28) *Audistis,* inquit, *quia ego dixi vobis:*

[1] I *Thess.*, v, 19.

Vado et venio ad vos. Non solum audistis me dicere hoc: *Vado;* sed vobis etiam dixi: *Iterum veniam.* Quare si separatio, quae erit per mortem, contristet vos, laetificet vos promissio: *iterum veniam,* quae adimplebitur apud vos per resurrectionem meam. Sed, inquiunt, si post breve apparebis nobis, iterum profecturus es a nobis in perpetuum. *Si diligeretis me, gauderetis,* inquit, etiam de hoc. Quia diligitis me, ideo potius oportet vos gaudere, neque decet vos propter profectionem meam contristari, sed oportet vehementer gaudere, quia ascendo in caelum et propter magna quae mihi inde contingent.

Quomodo, seu quo sensu dicit: *Pater maior me est?* Si, inquit, in humili statu constituendus forem, cum separatus fuero a vobis, profectio mea a vobis iusta causa foret tristitiae. Sin vero ad caelum ascendens in magna gloria futurus sim, in conjunctione mea cum Patre, non est cur contristemini; sed oportet gaudeatis, si vere dilectionem erga me servetis.

Quoad haereticos, qui hinc volunt probare naturam Patris maiorem esse illa Filii, ipse contextus sufficit ad solvendam obiectionem eorum, et ad ostendendum heic agi de homine assumpto. Talis est enim orationis scopus: Quemadmodum mors eius contristabat discipulos, ita et dignitas, in qua constituendus est, sufficiens est eis causa laetandi. Non enim * natura Dei Verbi recipiebat tormentum crucis, neque mox post passionem adveniet ei aliquid novum, quod consolatione repleret corda discipulorum.

* p. 279.

Ne autem videretur causa tristitiae, quod frustra et vane ante eventum eis illa praedixerit, addit: (v. 29) *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Propterea, inquit, maxime non decet vos tristes esse, quia ante eventum dico vobis quae futura sunt. Exspectate igitur adimpletionem eorum, ut cum evenerint prout dixi, non contristemini; sed, iure ac merito admirantes veritatem eorum quae praedixi, sciatis haud mihi invito accidisse quae sustuli. Et ad probandam certitudinem praescientiae suae, ait: (v. 30) *Iam non multa loquar vobiscum.* Itaque, inquit, scio etiam tempus passionis appropinquare.

Deinde amplificando passionem, in maiorem consolationem

discipulorum ait: *Venit princeps mundi, et in me non habet quidquam.* (v. 31) *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quia peccatum fuit nobis causa mortis, et satanas, omnes ad delictum inpellens, aggravavit condemnationem, ideo dicit: Ecce contra me excitat Iudaeos, quia per eorum malitiam vult mihi mortem inferre, licet in me nequeat inveniri causa digna mortis; ac propterea possum, si velim, non gustare mortem. Tamen accipio illam. Ex iis enim quae in passione mihi contingent, magna nempe et mirabilia valde, similiter ex iis quae post passionem apud credentes * evenient, scilicet mero verbo daemonia expellent, aegrotos sanabunt, signa omnigena facient, per me ipsis iubentibus omnes humanae tribulationes tollentur, et variae punitiones venient super peccatores; (ex iis omnibus, inquam,) manifestum erit me iniuste ductum fuisse in punitionem mortis; sed amore erga Patrem, pro omnium salute exsequor eius voluntatem. Solutio enim mortis quae mihi secundum iustitiam continget operante Omnipotente, eadem postea per gratiam erit sors totius generis humani.

* p. 280.

Deinde animum eis addendo, pulchre subiungit: *Surgite eamus hinc.* Igitur, inquit, cum illa ita futura sint, non est cur contristemur et timeamus a morte, e contra oportet sponte absque oppositione tradamus nos in manus interfectorum. Quod hoc intenderet dicere quin abiret ex hoc loco, patet ex eo quod haud egressus, protracto sermone, dixit verba sequentia.

[Cap. XV]. — Exhortans eos ad suum amorem, dicit: (v. 1) *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est;* ac paulo post iterum: (v. 5) *Ego sum vitis, et vos palmites.* Quia haec citata verba sunt manifesta, non debemus sensum eorum explanare, ne repetitione inutili frustra extendamus tractatum nostrum.

Verbis igitur superioribus consolans eos ne contristarentur sermone audito de passione, primo locutus est de gloria sua futura post passionem, deinde vero addidit sese haud nescium neque invitum (ire) in mortem, sed omnium praescium et libe-

rum. Non enim commisit peccatum, ita ut crederetur iuste mori; sed propter magnas res, * quae per ipsum iuxta divinam providentiam futurae sunt, accipit sponte passionem. Hinc vero praebet eis etiam instructionem, docens ut accedant ad suum amorem deposita tristitia, quod eis prae omnibus prodesse poterat. Et quemadmodum dum consolabatur eos propter eorum angustias, verbis multis et altis tradidit doctrinam suam, ita etiam exhortationem de caritate argumentis multis confirmat et demonstrat, quippe quae sit prima virtus omnino sollicite custodienda. Nam quia homo ille assumptus gratiam Spiritus accepit, quae fuit ei unctionis instar et dedit ei medio suo coniunctionem cum Deo Verbo; postea vero ceteri credentes, per virtutem Spiritus renati, facti sunt corpus Christi, ita recipientes coniunctionem cum eo; ideo exemplo vineae usus est, ut hoc modo fuse doceret eos servare caritatem erga eum.

Quemadmodum, inquit, vitis in terra defixa propriam habet vitam, quam semel e terra accepit; palmites autem quos producit, quamdiu in ea manserint, fructus dant; cum vero excisi fuerint, cessant vivere ac fructus dare; sic et quoad vos existimate me esse vobis vineae instar, quia ego primus omnem gratiam Spiritus accepi; vos autem estis mihi tamquam palmites, quia per spiritualem generationem unionem mecum recepistis. Sicut igitur quamdiu sunt in vite, palmites ferunt fructus; inde vero recisi, fiunt inutiles, quia statim ac secantur, ariditati et sterilitati traduntur; ita et vos, quamdiu in amore meo estis, necessario uberrimum * virtutis fructum profertis, fecunditate abundanti producentes bona spiritualia; sin vero ab amore mei desciveritis, absque dubio omnibus virtutibus destituemini. Quemadmodum enim agricola palmitum usum explorat, eosque quos pulchros videt et fructu ferendo aptos, illos cura sua reddit fecundiores propter utilitatem in eis inventam; qui vero sunt infecundi nec agricolae satisfaciunt, igni traduntur; ita et Pater uniuscuiusque mentem explorans, quos sua dilectione mihi adhaerentes cernit, curam eorum gerit, spiritualium bonorum eis impertiens abundantiam; quos vero ab amore meo defecisse videt, eos futuro reservat iudicio.

Ostendit ergo hic eos debere valde sollicite diligere eum;

primo quidem, quia modo spiritali ei adhaerentes, mentem habeant oportet dignam gratia unionis cum eo; secundo, quia istis incumbentes, fructus multos ferunt; tertio, quod si illa contempserint, iustam punitionem luent; et insuper causa gloriae magnae erunt Deo; nam virtutem eorum admirantes, homines admirabuntur etiam illum qui talis virtutis est causa. Quapropter dicit: (v. 8) *In hoc clarificatus est Pater, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* Simpliciter, sine fuco tam varietas temporum quam verborum constructio ponitur in libris sacris. Postquam exhortatus est eos, ut magna cum diligentia acquirant eius amorem; postquam repetiit, quod supra iam dixerat, ita amorem hunc probari, si studeant servare praecepta eius, concludens totam institutionem * de sua dilectione, ait: (v. 11) *Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Omnia haec verba locutus sum, inquit, ut suadeam vos possidere illud propter quod ego de vobis gaudeo; ut propter vestrum amorem erga me, bona spiritualia scaturiant ex vobis, ac vos etiam gaudeatis propter dona quae sunt deliciae vestrae, quia recipietis mercedem amoris vestri erga me.

* p. 283.

Deinde exhortans eos ut servent caritatem mutuam, dicit: (v. 12) *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Suum praeceptum vocat, non quidem praeceptum de caritate: hoc enim iam antea datum est, sed modum caritatis. Quapropter illud explicando ait: *sicut ego dilexi vos;* atque subiungit: (v. 13) *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Talis enim, inquit, est amor meus, quippe qui amicis meis magis sollicitus fui quam mihi, itaque et mortem suscepi pro salute eorum. Et ad indicandum quinam sint isti amici, ait: (v. 14) *Vos amici mei estis, si feceritis omnia quae praecipio vobis.* Ne vero credatur ad illos tantum nomen « amici » restringi, non dicit: Vosmetipsi amici mei; sed simpliciter: *vos,* inquit, *amici mei estis,* id est: vos estis ex amicis meis; atque subiunxit: *si feceritis omnia, quae praecipio vobis,* ostendens tam in eis quam in aliis observationem et adimpletionem praeceptorum suorum efficere, ut crescat dilectio erga ipsum.

Et allegans adhuc aliam rationem meliorem, propter quam

aestimabat nomen « amici » eis esse imponendum, adiecit: (v. 15) *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit * quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Evidenter et hoc, sicut alia multa, figurate est dictum. Nam si attente verbum istud consideremus, ne verum quidem apparet. Non absconduntur enim a servo omnia quae a domino eius fiunt, sed aliquando etiam cognoscit quaedam, quinimmo et multa negotiorum eius, maxime si diligit dominum suum. Neque ipse (Iesus) omnia quae cognoscebat, nota fecit eis; saltem si concedamus verba illa: *omnia quaecumque audivi,* de cognitione esse dicta. Sed hoc vult dicere: Servi non introducuntur in secreta eodem modo quo liberi. Quamvis enim aliquid addiscant, tempore quo servire debent, a dominis suis iubentur. Qui vero sunt amici, tamquam in bonis partem habentes, addiscunt secreta amicorum suorum. Vos ergo non servi, sed amici iure vocandi estis, quia omnia circa me audituri estis, et quantum fieri potest, postea etiam participes eritis regni mihi servati. Per haec ergo verba: *omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis,* dicere intendit: omnium bonorum, quae ego recepi, participes vos feci, per verbum significando factum.

Deinde illustrans magnitudinem dilectionis suae, quo magis exhortetur discipulos, addit: (v. 16) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non ego, inquit, a vobis fui receptus, ut particeps fierem bonorum istorum; sed ego accepi vos in consortium bonorum meorum. Igitur non dilexi vos propter mercedem, sed ego incepi conferre vobis praemium et donum. Ad amplificandum verbum suum, dicit: *et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque *petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Dicere vult: Communicavi vobis bona mea non ut, postquam ea aliquantulum gustaveritis, deliciis vestris deinde privemini; sed ut semper producentes fructus spirituales, copiose fruamini bonis venientibus a Patre. Fructum enim vocat gratiam quam accepturi sunt a Spiritu et bonum eius; quia per participationem Spiritus, quem acceperant, fuerunt ei ceu palmites, secundum parabolam Domini nostri.

* p. 285.

Postquam ergo ostendit magnitudinem amoris sui erga eos,

primo quoad modum, quia eos magis dilexit quam semetipsum, et quoad dona, quatenus communicavit eis bona sua; deinde quia ipse primus incepit diligere eos, et insuper quia sine fine dat bonorum fruitionem; post haec, inquam, ordinate adicit dicens: (v. 17) *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.* Haec dico, non quod velim celebrare amorem meum erga vos, sed ut suadeam vos ita diligere invicem. Valde ordinate verba illa dixit, primo enim monuit eos, ne contristarentur audientes eum loqui de passione; deinde praebuit eis doctrinam, qua ad amorem suum disponerentur; et demum exhortatur eos, ut sint solliciti in amore mutuo.

Hinc docet eos non timere tribulationes quas infligent eis adversarii, dicens: (v. 18) *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ad pudorem incutiendum hoc bene dicit. Si, inquit, adversariorum odium vos turbat, considerate eorum inimicitiam adversus me, et scitote vos non esse meliores me; ne ideo murmuretis propter odium inimicorum vestrorum.

Addit et aliam rationem: (v. 19) *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret,* * p. 286. ** quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Considerate, inquit, quinam sitis, utpote virtute Spiritus regenerati; alii nempe estis; vita vestra non est iam in terra, sed in caelo. Ab illis quibuscum nihil commune habetis, vultis diligi? Aut miramini vos ab illis odio haberi? Nonne hoc est turpe?

Deinde ad praecedentia revertens, dicit: (v. 20) *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Tempus est, inquit, ut recolatis magnam haberi differentiam inter me et vos; unde non decet ut vos, dum estis servi, maiora me exspectetis, sed debetis diligere similitudinem huius quod ego pertuli. Quando igitur videritis quae acciderunt mihi, accidere et vobis, accipite ea laetanter utpote digni sortis meae. Et ut maiorem adhuc pudorem eis incutiat, dicit: (v. 21) *Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Quamvis, inquit, haec videamini pati propter me,

scitote tamen et Patrem participem esse iniuriae mihi illatae; hunc enim offendunt non credentes verbis meis. Ne igitur talia accidentia reputentur gravia, quando videtis contemni ab illis et Patrem.

Hinc se convertit ad accusationem eorum qui non oboedierunt. Quando enim clare appareret eum iuste vituperare illos, melius intellegerent discipuli se propter virtutem sufferre tribulationes. (v. 22) *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent * de peccato suo.* * p. 287. Peccatum non habebant, quando non cognoscebant naturam Filii; olim enim de eo nondum audierant; nunc vero, postquam praedicavi illis, ne ullam quidem excusationem reliqui incredulitati eorum. (v. 23) *Qui me odit, et Patrem meum odit.* E contra et tamquam Patris inimici reprehenduntur nunc, quamvis putent sese eum ulcisci. Sicut debuissent credere verbis meis ceu verbis novis, itaque cum non crediderint, manifesto frustra putant sese ulcisci Patrem. (v. 24) *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* (v. 25) *Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis* [1]. Si, inquit, absque miraculis locutus essem eis, censerentur propter suam prudentiam non admittere nova quae locutus sum. Sed quia loquens etiam miracula et prodigia faciebam ad confirmanda verba mea, manifesto reprehendendi sunt, quippe qui oderint me et Patrem meum, neque receperint verba mea; et evidenter, secundum verbum Legis, illi sine iusta causa oderunt me.

Postquam ergo ita amplificavit accusationem adversus suos inimicos, quia scilicet audierunt quod erat addiscendum, quia viderunt etiam signa, et quia verbis eius ubique honorabatur Pater, ad quem videbatur elevare eos per doctrinam suam; (post haec, inquam,) addit validam confirmationem omnium quae dicta sunt: (v. 26) *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In des-

1 *Ps.* (Vg.) XXXIV, 19; LXVIII, 5.

census Spiritus, inquit, confirmatio habebitur eorum quae dixi, scilicet magnam illos intulisse offensam mihi et Patri meo. (* p. 288.) *Quando enim in nomine meo fient signa per virtutem Spiritus, tunc apparebit veritas verborum meorum. Manifestum erit, per nequitiam inimicorum Patrem etiam fuisse contemptum mecum. Volens autem culpam augere ex persona huius qui testimonium perhibebit, ait: *qui a Patre procedit;* id est, ille cuius essentia est ex natura Patris. Nam nisi per vocabulum « procedit » naturalem inde intellegeret processionem, sed extrinsecam quamdam missionem, dubium esset de quo loquatur, cum spiritus multi in ministerium mittantur, prout et apostolus Paulus dixit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi?* [1] Hic vero singulariter quid dicit quod etiam sufficit ad significandum illum tantum qui a Patre procedit et proprie Spiritus nomine in sacra Scriptura vocatur.

Et ne crederent eum sermone testimonium daturum esse, addit: (v. 27) *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;* id est, testimonium perhibebit per vosmetipsos, quia semper cum eo eritis; et quia semper vobiscum erit necessario confirmabitur testimonium vestrum apud auditores. Quando vos loquemini, Spiritus testimonio suo confirmabit verba vestra patratis signis, prout etiam Apostolus dixit: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis* [2]. Quae enim per virtutem Spiritus fiebant signa in nomine Domini, manifestabant quidem magnitudinem eius qui passus est, at simul redarguebant stultitiam eorum qui ausi sunt eum crucifigere.

Quemadmodum verbis superioribus suadens eos ne contristarentur audito sermone de passione eius, (* p. 289.) * necessario addidit causam ob quam deberet illa praedicere, scilicet ut magis admirarentur eum post facta completa, et scirent eum omniscium utiliter sufferre passionem, sic dissipando et evacuando tristitiam eorum; ita et hic, postquam exhortatus est eos verbis multis ne desperent propter tribulationes, sed ut macto animo eas tolerent, manifestata etiam nequitia inimicorum,

[1] *Hebr.*, I, 14. — [2] *I Cor.*, II, 4.

quia validius suaderet eos sufferre adversitates, si clare notum esset eis se propter virtutem et religionem passuros esse, addit etiam causam ob quam haec praedicit, scilicet ut doceat eos fortes esse animo, dicens:

[Cap. XVI, 1.] — *Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Haec, inquit, praedixi vobis ne, cum subito irruant in vos impraevisae tribulationes, mens vestra deflectat et deficiat, sed ut meditatione continua exspectationis animus vester exerceatur in difficultatibus. (v. 2) *Extra synagogas enim suas expellent vos, sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* Non solum, inquit, hoc ab eis perferetis, ut e synagogis eorum expellamini; sed scitote tempus esse venturum, quo credent se passione ac morte vestra sacrificium offerre Deo. Itaque tamquam religionis actum considerabunt internecionem vestram. Haec autem non a Iudaeis tantum facta sunt, sed etiam a Gentilibus. Multi enim de secta Simonis Magi, qui solent commisceri in Ecclesia et cum perfidia creduntur sequi doctrinam eius, qui et usque hodiernum diem idem videntur facere, — vocantur autem a multis * Borboriani [1] et difficile redarguuntur a fidelibus, — ob (* p. 290.) nequitiam suam aliquando fuerunt comprehensi a Gentilibus, ob immunditiam, inquam, ab illis commissam. Atque propter illos qui deprehensi fuerunt, invaluit inter multos extraneos opinio etiam in Ecclesia omnes ista facere, quasi nuptui ducerent matres suas, manducarent pueros suos, et alias immunditias committerent, quas illi faciebant in secreto; et talem esse Ecclesiae legem. Ac propterea innumera mala perpessi sunt credentes ab extraneis, qui censebant exterminio illorum mundum esse purificandum.

Habetur etiam epistula quaedam alicuius fratris ex Galliarum regione ad quemdam episcopum Asiae, qua exponit quot mala propter hanc opinionem acciderint fidelibus tempore Veri regis, atque citat etiam hoc testimonium [2] quasi tunc revera adimpletum esset; quod etiam refert in Historia ecclesiastica Eusebius Caesareensis [3].

[1] Cf. *Dict. Théol. cath.*, II, col. 1032-1033. — [2] Ioh., xvi, 2. — [3] Lib. V, cap. 1. (*Patr. Gr.*, XX, col. 415-416).

Postquam ergo dixit quid venturum esset, iterum consolatur eos satis, dicens: (v. 3) *Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me.* Sed consolamini, inquit, circa ea quae accident vobis. Cogitate quaenam sit eorum causa, et quisnam vobiscum consors sit in contemptu, ego scilicet et Pater meus. Hoc sufficienter vos docet, qualia bona propterea a vobis gustanda sint.

Deinde iterum manifesto declarat quam ob causam haec eis praedicat, volens nempe firmiores eos reddere ad sustinendas tribulationes. (v. 4) *Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Si haec non praedixissem, inquit, fortasse, eo quod sine exspectatione et sine praeparatione in vos irrueret * malum, animo deficeretis; Sin vero praedico quae accident vobis, post eventum eorum debetis admirari virtutem illius qui ea praedixit; atque, iisdem completis, neque de bonis, quae promisi vobis dare, propter ista dubitabitis. Postquam manifestavit ob quam utilitatem hoc eis praedixerit, indicat etiam quare hucusque talia non dixerit eis. Videtur tamen eum iam pluries esse locutum et de passione sua et de malis quae ipsi passuri essent. Ita aliquando dixit: *Oportet Filium hominis multa pati a summis sacerdotibus et scribis, et crucifigent eum et occident eum* [1]. Et alibi dixit: *Tradent vos et flagellabunt vos et coram regibus ac praesidibus stabitis propter me* [2]. Sed probabile est, ipso per transennam illa dicente, ne verba quidem eos intellexisse, quia nondum portare poterant duritiem talis sermonis. Quid ergo dixit? *Haec vobis ab initio non dixi quia vobiscum eram.* (v. 5) *Nunc autem vado ad eum qui misit me.* Non erat necesse, inquit, ut prius haec dicerem vobis; non enim urgebat me tempus, cum vobiscum essem, ut singulatim de eventibus illis loquerer vobis, quia praesentia mea inter vos sufficiebat. Sed quia in eo sum ut proficiscar a vobis, omnino illa praedicenda sunt vobis, ut habeatis in vobismetipsis fulcimentum admonitionis meae. Dum haec dicebat Dominus, tristitia dominabatur discipulis; quo magis enim exspectaverat haec dicere, eo magis nunc contristabantur. * Ad excitandos ergo et suadendos eos

* p. 291.
* p. 292.

[1] Marc., viii, 31. — [2] Matth., x, 17-18.

ut deponant angustiarum pondus, dicit: (v. 5) *Et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* (v. 6) *Haec enim locutus sum vobis, et venit tristitia et implevit cor vestrum.* Olim, inquit, quando me audiebatis dicere « vado », quaerebatis « quo? »; nunc autem iam non interrogatis, tantum in tristitiam estis delapsi omnes.

Atque iterum consolans eos, dicit: (v. 7) *Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis ut ego vadam.* Quamvis tristes sitis, veritas tamen hoc exigit. Nequit enim unum ex bonis istis contingere vobis, nisi ego patiar, aut nisi fuerim in iis in quibus post passionem futurus sum.

At quid continget eis post passionem tuam? Respondet: (v. 7) *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hic est enim ordo, ut cum ego prius fuero in gloria, et vos, in spem participationis eiusdem, recipiatis gratiam Spiritus. Igitur si ego abiero, necessario et vos per Spiritus donum recipietis participationem bonorum, quibus fruar ego. Sin vero ego prius non fruar eis, neque vobis ullo modo sunt exspectanda. Et quia ostendit se abeuntem invitaturum esse eos ad bona illa, ideo pluribus probat magnum esse donum gratiae Spiritus; atque iure quidem, quia omnia bona, data hominibus, elargitur Spiritus.

(v. 8) *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia et de iudicio.* (v. 9) *De peccato quidem, quia non crediderunt in me;* (v. 10) *de iustitia vero, quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me;* (v. 11) *de iudicio autem,* * *quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Tam terribilis est, inquit, Spiritus descensus, — quia magnus est et potens, — ut ipso delabente super homines, tunc eorum qui mihi insidiantur « peccatum » appareat; quia illum, qui tanta magnitudine tantoque honore dignus erat, occidere meditati sunt, prout donum Spiritus, quem accepturi sunt credentes in me, clare manifestabit. Cognoscetur etiam « iustitia » mea, quam operibus verbisque inter eos sive magna cum rectitudine loquebar sive cum aequitate operabar. Ex iisdem insuper manifestabitur oeconomia passionis meae, quatenus non inanis aut futilis fuerit, sed in « condemnationem » Satanae. Nam quando per effectum doni Spiritus aegroti curabuntur, mortui resurgent,

* p. 293.

daemonia eicientur, revera per haec opera videbitur condemnatio Satanae. Si enim actiones iniquas facerem, vel doctrinam inconvenientem docerem, merito ab eis punitionem secundum actiones meas reciperem, atque praecipue post mortem despectui habendus forem. Necessario vero et discipuli mei post me eiusdem contemptus participes forent. At quando praesentia Spiritus miraculis patratis contrarium ostendet, quando discipulos meos etiam in gloria magna constituet, tunc condemnatio Satanae videbitur et manifestatio gloriae meae clare apparebit; redarguetur vero simul peccatum inimicorum.

Postquam ergo haec omnia retulit ad Spiritum, ut notam faceret eius naturam et virtutem per ea quae ab ipso facienda sunt, deinde aliud excellentius addidit ad confirmanda verba sua, dicens: (v. 12) *(Adhuc) multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.* (v. 13) *Cum autem venerit* * *Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem.* Vos, inquit, ceteris magis experiemini virtutem Spiritus. Illa enim quae nunc ne audire quidem potestis, quia non possetis ea intellegere si vobis dicerentur; illa, inquam, intellegetis quando receperitis donum Spiritus, quia omnem veritatem recipietis ab eo; atque non solum audire poteritis, sed intellegere omnia quae dicta sunt. Tunc cognoscetis Patris naturam, et dignitatem Filii qui est genitus ineffabilis, communicatio eius essentiae, similitudo perfecta naturae eius in oeconomia inter homines; (cognoscetis) etiam quanta sit dignitas ipsi collata, et quisnam in eo sit, quaenam sit coniunctio huius cum illo, quae, nonobstante naturarum differentia, exsistere potuit, per virtutem illius qui fecit eam. Tunc cognoscetis etiam dignitatem Spiritus, cuius actio erga homines tam potens est, ut Deum Verbum communicet. Tunc firmiter exspectabitis etiam quae futura sunt, quando certo credetis in resurrectionem; tunc accipietis ut tradamini tribulationibus, omnia visibilia despicientes in spe bonorum futurorum. Verba enim: *ducet vos in omnem veritatem,* significant: Dabit vobis scientiam accuratam omnium illorum quae prius non cognoscebatis. Non autem sermone docebat Spiritus discipulos, sed ineffabili mysterio, doctrinae revelationem animis eorum communicabat, et sensum veritatum profundiorum dabat eis; unde quae audierant

* p. 294.

ab Unigenito et non intellexerant, praecipue quando loquebatur de sua natura, cum facilitate magna intellegere valuerunt * post Spiritus adventum.

* p. 295.

Deinde ut confirmet Spiritum sanctum posse ducere eos in omnem veritatem, huic subiecto de Spiritu immorando contra ordinem scopi sui, addit: *non enim loquetur a semetipso.* Heic iterum verba: (*non*) *a semetipso*, more suo non dicit tamquam de defectu, sed de perfecto consensu, prout pluries ostendimus. Hoc enim significat: Nolite cogitare Spiritum sanctum debilis esse virtutis; sed illa operari potest quia nihil est supra eius scientiam, ac nullatenus differt neque a me neque a Patre. Nam propter euniunctionem perfectam, nequidem solus operatur seorsim a Patre; sed haud separatus a Patre, cum eo etiam omnia operatur, quia aequalis est in natura, in operatione, in scientia et in voluntate tam mecum quam cum Patre. *Sed quaecumque audiet, loquetur.* Non quod tunc didicerit Spiritus, quando necessaria erant hominibus. Nam quando dixit Apostolus: (*Spiritus*) *omnia scrutatur etiam profunda Dei; et sicut homo nescit quod est in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita neque quod in Deo est nullus scit, nisi Spiritus Dei* [1], quis tam stultus est ut dicat latere scientiam Spiritus quae omnino pro institutione nostra servire deberent? Ita enim deberet nobis gratias rependere, quod causa nostra didicerit quod nesciebat. Sed quia illi qui audiunt aliquid ab eo qui scit ab alio dicenti sibi, aeque sciunt atque hic qui dicit, *non enim loquetur a semetipso,* id est non aliquid extraneum vel contrarium Patri dicit, quapropter addit: *quaecumque audiet,* — * corporaliter hoc dicens, more suo, — id est: quod scit una mecum et cum Patre, loquitur.

* p. 296.

Per hoc *audiet,* significare vult perfectam aequalitatem scientiae Spiritus. Quemadmodum enim cum de semetipso dicit: *Quae ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor* [2], non aliud significare vult quam hoc: doceo quae scio placere ac convenire Patri, — hoc autem dicebat Iudaeis significans se non tradere doctrinam extraneam Patri, illosque incredulos frustra Patrem in medium afferre; — ita etiam de Spiritu

1 I *Cor.*, II, 10-11. — 2 Supra, XII, 50.

significare vult, eum non loqui aliquid extraneum vel contrarium Patris voluntati, sed quae ei conveniunt atque placent.

Addit autem et aliud argumentum: *et quae ventura sunt, annuntiabit vobis.* Non enim modicum argumentum est potentiae eius praescientia futurorum, quae per ipsum hominibus communicaretur.

Quod maius est omnibus praecedentibus habetque maiorem vim, deinde subiungit dicens: (v. 14) *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Omnia verba haereticorum qui, Spiritus personam minuentes, insane de hac sententia loquuntur, aestimo non esse nostrum longe lateque enarrare. Sensum enim versuum studemus clare exponere, auxiliante Deo. Haud enim dicit « a me » accipit, sed *de meo.*

Oportet igitur quaeramus quid sit hoc « suum », de quo accipiet Spiritus et annuntiabit illis. Hoc nempe dicit: Christus in carne, cum in eius natura non esset ut uniretur Deo Verbo, necessario indiguit mediatione doni Spiritus; et accepta omni gratia perfecta quae fuit ei pro unctione, duxit * in integritate multa vitam, prout natura humana non potest. Ita autem recepit etiam participationem cum illo, principium nempe omnium bonorum, homo assumptus pro omnibus hominibus; quia illorum quae ipsi contigerunt, nos omnes participes erimus sive in resurrectione sive in ascensione in caelum, sive in regno sive in gloria: *Si enim compatimur, etiam conglorificabimur* [1]; et: *Si sustinebimus, etiam conregnabimus* [2]. Necessario autem et nos gratiam Spiritus recipiemus ut in virtute eius regeneremur, adimplentes per baptismum typum mortis et resurrectionis Christi: *Quicumque enim baptizati sumus in Iesum Christum, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem eius: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* [3]. Hoc ergo modo possumus etiam exspectare futura. Indeque et corpus Christi vocatur fidelium congregatio, et membrum eius unusquisque nostrum, et caput omnium nostrum ipse est, quia per virtu-

[1] *Rom.*, VIII, 17. — [2] II *Tim.*, II, 12. — [3] *Rom.*, VI, 3-4.

tem Spiritus quasi coniunctionem naturalem cum eo accipimus, prout etiam Apostolus dicit: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus* [1].

Dominus noster igitur, volens significare virtutem Spiritus, ait: *Ipse me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis;* id est: gloriam meam ostendet omnibus hominibus. Quemadmodum enim cum dicit ad Patrem: *Ego te clarificavi super terram* [2], significat: ego in conspectu omnium revelavi gloriam tuam; ita etiam hic dixit de Spiritu: *Ille me clarificabit,* id est: manifestabit gloriam meam, qualis nempe et quanta sit. Mihi enim, inquit, tota gratia Spiritus facta est, * quia Deo Verbo coniunctus sum, et filiationem veram accepi. Ex gratia autem quae in me et apud me est, pars exigua super vos veniet, ut et vos vocemini filii Dei, quamvis multum remoti sitis ab honore qui mihi contigit tamquam Filio. Quando autem haec pars per effectum Spiritus omnia illa operari potest, faciens scilicet miracula, dans sanitatem, eiciens daemonia, praedicens futura et revelans abscondita, tunc manifesto cognoscetur magnitudo mea. Si enim pars, quae in vobis est, tam potens est, capax rapiendi omnes homines in admirationem, cogitate quaenam gloria mihi facta sit.

Deinde ostendens quanta differentia habeatur inter se et illos, dicit: (v. 15) *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Nam etiam universalem dominationem accepi, inquit. Et nos credimus hoc ita esse. Particeps est enim omnium quae sunt Dei Verbi, propter suam coniunctionem cum eo. Haec autem coniunctio facta est, mediante dono Spiritus. Igitur tribuit ei causam universalis suae dominationis.

Atque clare explicans verbum suum, ait: *Propterea dixi vobis: de meo et accipiet et annuntiabit vobis.* Nam, inquit, quia tota gratia mihi facta est, quod probatur eo quod sum omnium dominus, — hoc autem vobis fieri nequit, participationem enim exiguam sumere potestis, minime vero aequalem mihi ita ut et vos domini vocemini sicut ego; — propterea non dixi « meum », sed *de meo.* Quia non sumetis totam gratiam, sed tota in me est; vos autem partem exiguam, vobis conve-

[1] I *Cor.*, XII, 13. — [2] Infra, XVII, 4.

nientem, sumetis. His omnibus verbis ostendit virtutem Spiritus *eiusque potestatem, ex eo scilicet quod ipse in dignitate est constitutus magnaque etiam discipulis futura sunt, similiter ex eo quod valde utilis est eius adventus tam ad confirmandos suos quam ad *confundendos* inimicos. Haec verba dixit ut ostenderet multum eis profuturam esse passionem suam, eaque quae postea evenient, sine quibus gratiam Spiritus non reciperent; qua non recepta, omnibus istis bonis forent privandi. Consolans enim eos verbis supradictis, ne propter passionem eius dolerent, dicebat: (v. 7) *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Deinde volens ostendere adventum Spiritus esse bonum excellens, ordinate verba mox explicata recitavit, ut pluribus confirmaret quod dixerat. Cum haec autem dixisset et ostendisset eis prodesse suam profectionem, ad obiectum sermonis sui revertens, dicit:

[* p. 299.]

v. 16) *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem.* Verba: *quia vado ad Patrem,* non sunt causa huius quod antea dixit, sed proprium sensum habent. Nam verba quae dixit triplicem sententiam continent; prima haec est: *modicum, et non videbitis me;* secunda: *modicum, et videbitis me;* tertia: *vado ad Patrem.* Reversus enim ad obiectum sui sermonis post probationem, tamquam recapitulando vult dicere: Quia tantam gratiam recepturi estis, nolite contristari si ego vadam; sed scitote haec: *modicum, et non videbitis me,* — quia moriturus est et sepeliendus; *et iterum modicum, et videbitis me,* — quia facile a morte liberabitur. Postea vero videbitis me etiam in caelum ascendere *ad Patrem. Oportet ergo propter haec omnia gaudeatis.

[* p. 300.]

Discipuli vero mirabantur propter verba illa, dicta ante eventum, quippe qui non intellegerent ea. Nondum enim capiebant illa: modicum et non videbunt eum, neque: modicum et videbunt eum; nec demum illa: quia vado ad Patrem; atque hoc indicat evangelista, dicens: (v. 19) *Cognovit autem Iesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.* Quibus dictis, non explicavit aenigmaticum sermonem, ratus explicationis tempus nondum advenisse; sed reliquit, ut ex ipsis factis postea discerent. Dicit vero eis quod scit profuturum esse eis in consolationem, quia tristes erant propter eius passionem.

v. 20) *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Scio, inquit, passionem meam daturam esse gaudium magnum inimicis, vobis vero luctum. Sed scitote gaudium magnum vobis oriundum esse ex tristitia, quando fruemini bonis ex passione derivandis. At quia incredibile videbatur ut ex tristitia oriretur gaudium, voluit eos convincere per similitudinem huius quod apud mulieres contingit. Sicut, inquit, mulier in doloribus magnis parit, quando vero peperit, liberata a pressura et oblita doloris sui, gaudet quia ex istis doloribus vita magna et mira orta est mundo; ita etiam vos tempore passionis et mortis eritis tamquam in doloribus partus, quando autem videritis me surrexisse a morte, et egressum e sepulcro, quasi ex doloribus istis *novus homo natus esset ad immortalitatem, gaudium immensum erit vobis propter spem participationis, neque iterum gaudium vestrum tolli poterit a vobis. Non enim fieri potest ut adhuc moriar, neque a vobis tolletur participatio mecum. (v. 23) *Et in illo die me non rogabitis quidquam.* Dicere vult: non erit vobis necessaria petitio; nam ipso dono Spiritus participationem omnium bonorum habebitis. In figura tamen hoc etiam vult dicere sicut et cetera. Ergo ne crederent se revera iam non indigere petitione, ait: *Amen, amen dico vobis: quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* At illa verba: *non rogabitis,* videntur opponi his: *quodcumque petieritis.* Istis enim prohibet eos ne petant; his vero suadet eis ut petant. At prout dixi, sicut plura alia etiam hoc dixit figurate. Vult enim dicere: cum ascendero in caelum et cum vos receperitis gratiam Spiritus, tam abundanter possidebitis thesaurum donorum, ut iam oratione non indigeatis ex hac parte. Ideo non tam oratione quam recepta gratia faciebant miracula.

[* p. 301.]

v. 24) *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Re quidem vera, hucusque non crediderant prece eum esse rogandum. *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit ple-*

num. Deinceps, inquit, petite indesinenter, recipietis enim, sicut etiam gaudebitis propter dona vobis collata.

v. 25) *Haec in proverbiis locutus sum vobis.* Manifesto declarat, quod pluries nos diximus, se in figuris cum eis esse locutum. Et addit: *Sed venit hora,* * *cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Designat tempus descensus Spiritus, a quo, effusa eius gratia, receperunt cognitionem veram de Patre et de Filio. Propterea enim dicebat, illos cognitionem claram circa Patrem esse recepturos; quatenus nempe scirent Patrem ex sua substantia genuisse Filium, quod hucusque nesciebant, prout neque intellegebant eum dicentem « Pater meus »; quia credebant Deum vocari eius Patrem propter suam providentiam erga eum, sicut erga ceteros homines. Unde in eodem ordine addit: (v. 26) *In illo die petetis in nomine meo* convenienter. Qui enim illud cognoscebant, necessario petebant etiam a Filio quod petebant a Patre. *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem.* [Superius dicit: *Et ego rogabo Patrem,*] *et alium Paraclitum dabit vobis* [1]; [hic vero: *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.* Videntur autem ista contraria esse] [2]. Verum ibi de ascensu suo ad caelos disserebat, post quem erat Spiritus descensus; unde apte dicit: *ego rogabo,* prout congruebat homini; quamvis et hoc manifestum sit, ipsum non debere rogare. Quomodo enim quod noscebatur illis esse dandum, prout et ipse promisit discipulis suis, per petitionem obtineret eis? Sed causam doni vocat petitionem suam. Hic vero de divinitatis dignitate disserens, quam clare cognituri erant, dicit: *non rogabo,* ut ostendat sibi non opus fore ut pro eis roget, cum possit et ipse similiter dare. Ne autem aperte hoc dicens prout divinitati congruebat, imbecillitati discipulorum videatur quaerere vanam gloriam, addidit: (v. 27) * *Quia Pater amat vos*; propter amorem vestrum erga me, omnia dat vobis. Verbis ergo his: *ego non rogabo,* ad dignitatem suam divinam alludit; istis vero: *Pater dabit vobis,* et suspicionem superbiae removit, et quoad semetipsum insinuavit se etiam

* p. 302. — * p. 303.

1 Supra, XIV, 16. — 2 Uncis inclusa e fragmento graeco (*Patr. Gr.*, LXVI, 780) translata sunt; hoc enim loco textus syriacus lacunosus et perturbatus est.

doni esse participem. Nam si omnino non petat, quamvis magnam curam habeat de eis, evidens est ipsum simul dare cum Patre.

v. 28) *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Verba: *exivi a Patre,* non aliud significant quam ipsum fuisse in homine. Quemadmodum enim hoc: *vado ad Patrem,* de coniunctione dixit; ita et hoc: *exivi,* dixit, quia ab hominibus credebatur tantum homo, nullam cum natura Patris possidens participationem; impossibile enim erat ut ab hac coniunctione separaretur. Hoc ergo *vado* tamquam de eventu (praesenti) dixit, alludens ad coniunctionem futuram. Hoc autem *exivi,* non ita fuit. Quomodo enim fieri potest, ut separaretur a Patris consortio? Sed hoc dixit secundum opinionem hominum, qui, videntes eum, putabant eum esse hominem, et hoc solum quod videbatur. Et iure quidem hoc putabant, quia homo nullum consortium naturale potest habere cum Patre. Commixtio est ergo haec et Dei Verbi et hominis quem assumpsit, sicut illud: *Nemo ascendit in caelum* [1], prout etiam in explicatione ostendimus, auxiliante Deo. Hoc enim: *exivi a Patre,* prout dixi, potest quidem intellegi de divinitate, tamquam de separatione vero non potest; at de homine assumpto evidenter nullo modo * accipi potest. Hoc autem: *relinquo et vado,* nullo modo de divinitate dici potest, neque tamquam de migratione, neque tamquam de coniunctione. Numquam enim hoc fuit admissum. De homine vero dici potest. Itaque utrumque simul nequit de una ex illis naturis accipi; neque Deo Verbo neque homini ambo illa conveniunt. Iuxta sensum autem a nobis expositum, — quo clariorem aut contextui aptiorem nemo proponere potest, — primum videtur congruere divinitati, alterum vero homini assumpto, propter coniunctionem naturarum, per quam ambo ad unitatem quamdam pervenerunt. Quod ergo dicit, sic sonat: In homine fui; et tamquam homo ab illis, qui non cognoscebant me, reputatus sum; atque per eum omnia pro salute hominum feci; eumdemque assumpsi, ut in me coniungerem eum Patri.

Disciupli igitur, putantes se verba sibi dicta accurate intel-

* p. 304.

1 Ioh., III, 13.

lexisse, dicebant: (v. 29) *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.* (v. 30) *Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est ut quis te interroget; in hoc credimus quia a Deo existi.* Putabant enim se omnia ita novisse et intellexisse, ut responderent non esse parabolas quae dicta sunt. 5

Quid ergo respondet Dominus? (v. 31) *Modo creditis?* inquit. (v 32) *Ecce venit hora, et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater mecum est.* Voluit enim ex parte tantum ac paulisper increpare infirmitatem eorum. Illos non intellexisse 10 verba sua, non dixit manifesto, quia ne tempus quidem erat explicandi et interpretandi ea quae dicta sunt; atque super-

* p. 305. fluum erat increpare eos, * qui nec post vituperium potuissent aliquid amplius addiscere. Praeannuntiavit autem eorum infirmitatem, dicens in vanum eos gloriari de fide sua, qui mox 15 eum derelicturi essent, prout revera accidit.

Indicans autem rationem praedictionis suae, adiunxit dicens: (v. 33) *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.* Praedixi vobis, inquit, futurum vestrum errorem; ut, cum evenerit, miremini virtutem praedicentis, atque caveatis ne deinceps 20 aberretis, quia Dominum, qualis ego sum, negabitis. Sed, pergit, pressura gravis erit. *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Quamvis potentes sint, qui prement vos, gaudete tamen et confidite, vincam enim oppressores vestros. Quia ego ero extra mortem, quam illi mihi 25 inflixerunt sperantes perdere me, propterea et vos, participes mecum in passione, credite et in resurrectione vos participes futuros. Neque conturbemini propter illa quae ab istis fiunt, sed gaudete potius propter illa quae postea vobis conferentur.

Haec ergo dixit Dominus ad discipulos, cogitans ea valde 30 profutura esse illis ad instructionem. Quibusdam consolabatur eos, ne dolerent audientes de passione, propter bona tribulationibus maiora. Dicebat eis et alia, quorum quaedam ipsi acciderent, quaedam vero etiam illis postea valde gloriosa. Sed quia ante eius passionem adhuc debiles erant discipuli, quae- 35 dam eius verba non intellegebant, prout ipse Dominus noster

* p. 306. dixit eis, alia neque audire poterant; quare multa * in parabolis ad eos dicta fuerunt.

Hinc convertit orationem a discipulis ad Patrem in forma orationis dicens, quid sibi et quid eis dandum esset. Quamvis talia dicenti haud multum credere possent tunc, tamen eum orando peteret, putabant periculosum fore dubium; sciebant 5 enim nihilum esse, ne maximum quidem, quod Pater dare non posset, si velit. Atque vis commentarii hoc clare ostendet, scilicet non haberi orationem, sed formam tantum orationis. Haec autem orationis verba dicit etiam sicut parabolas. Quod si quis velit ea litterali sensu iudicare simpliciter, inveniet 10 multis earum ne rationem esse quare dicerentur, maxime dum apparet illa nullum habere nexum inter se.

[Cap. XVII]. — Dicit ergo evangelista: (v. 1) *Haec locutus est Iesus, et sublevatis oculis in caelum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te,* (v. 2) 15 *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Multi valde remoti ab intellegendo sensu horum verborum, ipsam eorum divisionem turbarunt non legendo ea in debito ordine; sumpserunt verba illa extra ordinem quo legenda sunt, eaque ad alia retulerunt. Haec enim: *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,* quidam 20 cum sequentibus iunxerunt. Iuxta contextum vero melius cum praecedentibus quadrant, prout a nobis sunt recitata. Magna nempe gloria a Deo conferenda erat post passionem homini assumpto, tum quia resurgeret, tum quia ascensurus erat in caelum, tum quia coniunctione sua cum Deo Verbo dominatio- 25 nem universalem adepturus erat, ita ut propterea omnino * adorandus esset, prout dixit Apostolus: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*[1]. Hoc autem, quando a Domino 30 nostro dicebatur, dicipulis incredibile erat, quia infirmitas humana haud convincebatur ad talem sermonem admittendum. propter magnam humiliationem apparentem. Volens ergo in forma orationis hoc eis notum facere, dicit: Quia tempus prope est, clarifica Filium tuum, sicut dedisti ei potestatem super 35 omnem carnem, ut et Filius tuus clarificet te. Nam hic est

[1] *Philipp.*, II, 9-10.

logicus ordo, ut verba: *Filius tuus clarificet te,* post cetera legantur. Dixit ergo: Sicut dedisti ei tantum honorem, ut et universalem dominationem accipiat, — quamvis enim hanc de facto postea *receperit;* attamen quantum ad honorem iam pertinebat ei utpote electo a Deo; — sicut ergo, inquit, dedisti mihi istud, ita glorifica me; id est, modo convenienti honori, cuius dignum me fecisti, manifesta me in conspectu omnium tempore passionis, ut omnes per ea, quae in cruce adventura sunt, *cognoscant* magnitudinem honoris mei, atque noverint me non meruisse passionem, sed propter multiplicem utilitatem aliorum sponte mea me mori. Hoc igitur: clarifica (me), non significat « da mihi gloriam », sed: manifesta gloriam meam, quae mihi data est a te. Eodem sensu addidit: *ut Filius tuus clarificet te;* id est, ex illis etiam tu apparebis per me magnus et gloriosus. In quantum enim videntur mirabilia illa mihi facta, in tantum et dignitas tua cognoscitur. Hoc autem: *ut Filius tuus...,* haud causaliter dicit; non enim propterea glorificabat eum *Pater, ut ipse ab eo glorificaretur. Sed consecutive hoc dicit, secundum morem librorum divinorum, sicut: *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*[1]. Non diligebat eum, quia positurus erat animam suam; sed quod necessario ei conectitur significat. Talis etiam est sensus versus sequentis. Addit enim: (v. 2) *ut omne quod dedisti ei, det ei vitam aeternam.* Etiam hic non causam indicavit, sed quod necessario sequitur. Vult enim significare, se potestatem universalem accepisse, ut vitam aeternam pararet credentibus in ipsum. Quomodo det vitam declarat, subiungens: (v. 3) *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum (verum), et quem misisti Iesum Christum.* Hoc modo, inquit, dabitur eis vita aeterna, quando accurate cognoscent naturam divinam, hinc vel illinc non aberrantes, neque nomine hoc designantes quae non sunt divina; quando insuper agnoscent et me, qui in hoc mundo, secundum mandatum tuum, omnia in eorum salutem operatus sum. Oportet enim omnino ut eum cognoscant, atque propter omnia illa iuste honorent eum. Duae doctrinae tunc temporis

* p. 308.

[1] Supra, x, 17.

tenebantur inter homines, paganismus et iudaismus. Doctrinam vero christianam, quae est veritas, tamquam tertiam doctrinam introduxit Christus. Compendiose istis verbis ea definitur. Christiana doctrina enim in omnibus adversatur paganismo. Si autem comparetur iudaismo, hunc redarguit, ceu valde distantem a scientia vera. Paganismus enim multos deos docet, quod omnino adversatur christianismo. Iudaismus vero, quamvis videatur habere notionem naturae divinae, attamen perfectam *non habet. Deum enim cognoscebant Iudaei simpliciter; aliud autem praeter istud non intellegebant, quia non cognoscebant naturam Patris, qui genuit Filium mysterio ineffabili; neque cognoscebant personam Filii, qui in principio erat apud Patrem. Obscure autem opinionem aliquam etiam de Spiritu habebant. Sed nondum sciebant hominem fuisse assumptum atque coniunctum naturae divinae. Breviter ergo istis verbis enuntiata tota doctrina veritatis, quae nos discernit a paganismo et a iudaismo. Voluit docere nos, cognita et intellecta hac doctrina, recipere per eum vitam aeternam. Quia dominationem universalem accepit, nobis paravit immortalitatem. Ordo vero sententiarum et sensus obvius verborum sufficit ad detegendam insaniam haereticorum. Nunc igitur hoc dicamus; scilicet, verba: *Te esse Deum verum solum,* non ita convenire Patri, quasi per oppositionem ad Filium essent dicta; neque haec: *quem misisti Iesum Christum,* referenda esse ad naturam Unigeniti: nam dicendo « quem misisti » clare prodit quid intendat. Verba quae in responsione discussionis ad obiecta dicenda sunt, non est tempus ut nunc recitemus. Sufficit enim nobis ad solutionem obiectionum accurata interpretatio, et quod iam antea diximus. Quamvis paucis verbis hoc dixerimus, omnino verum est tamen et credibile sapientibus.

Postquam haec dixit atque inter verba sua introduxit, referendo ad istud: *clarifica Filium tuum,* protrahit sermonem suum dicens: (v. 4) *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Quod ex parte mea erat faciendum, inquit, iam est adimpletum. *Omnibus enim hominibus, qui sunt super terram, notam feci gloriam tuam; et opus, mihi pro salute omnium commissum, perfecte adim-

* p. 309.

* p. 310.

hoc non omnes respicit, sed credentes. Verba enim: *pro iis quos dedisti mihi,* de credentibus dixit. Illi qui tui sunt, etiam mei sunt, propter indivisibilem consensum * et propter participationem divinitatis; quapropter et ego in coniunctione mea cum Deo Verbo, accepi eos et glorificatus sum apud omnes. Quid est ergo quod nunc petis, et non antea? (v. 11) *Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio.* Quia ego ex hoc mundo proficiscor, inquit, illi vero remanent in pressuris huius mundi et adhuc indigent assistentia multa, — quid ergo petis? *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quod dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Quod dicit hoc est, — oportet enim fuse explicemus hunc sermonem. Postquam creatus est primus homo a Deo, reus factus est mortis propter peccatum cum omnibus qui ex eo nati sunt; quippe qui ex parte quadam naturali primorum hominum receperunt exsistentiam suam. Quia ita etiam gignere possunt homines, propterea merito participationem naturalem cum eis receperunt. Et quia communem habent naturam, ita etiam mortem naturae impositam, contraxerunt. Quando ergo hanc (mortem) Dominus noster Deus voluit solvere, et homines reddere incorruptibiles, eosque dignos facere magno honore, principium omnium assumpsit unum hominem in quo habitavit Deus Verbum, ac fecit ut operaretur et toleraret omnia quae hominem decent, vitam integerrimam ducendo. Postremo demum et finem vitae accepit, interveniente morte. At postquam resurrexit a mortuis, ceu novus homo incorruptibilis natus est in vitam aliam pro priore. Ac toto dono Spiritus accepto, faciliter operatus est omnia quae in hoc mundo ad nostram salutem requirebantur. Et cum ita post resurrectionem recepisset immortalitatem, in coniunctione cum Deo Verbo *dominus omnium factus est. Quia vero oportebat ut nos etiam, prout Dominus noster voluit, participes essemus resurrectionis eius, necesse erat ut qui nativitate naturali receperant participationem cum Adamo, ac propterea etiam sententiam mortis eius exspectabant, nativitate altera, Domini instar, post mortem nascerentur in resurrectionem, ut et ipsi partem habere possent vitae aeternae. Quid ergo accidit? Quia Christus in carne per Spiritum obtinuit resurrectionem, necessario et nos

* p. 313. * p. 314.

eamdem dispensationem Spiritus recipiemus. Hoc revera docet Apostolus aperte dicens: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in nobis; qui suscitavit eum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra; propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* [1]. Non enim suscitasset eum in resurrectionem nomine Spiritus, si hic nullo modo profuisset in resurrectione Salvatoris nostri. Quod praecipue manifestat haud dicendo « Spiritus Dei », sed *Spiritus eius qui suscitavit Iesum;* ut, sicut supra ostendit eius virtutem, ita et heic congruenter suscitat.

Itaque regeneramur per baptismum in quo typum mortis et resurrectionis Domini nostri adimplemus, sicut etiam Apostolus dixit et nos frequenter ostendimus; quod non aliter credimus fieri erga nos iterum, nisi per virtutem Spiritus, secundum verbum Domini. Quemadmodum igitur ex exiguo, ab Adamo recepto, nati sunt primi homines, ac similiter ii qui postea successive geniti sunt; ita ex plenitudine doni Spiritus qui in Christo in carne—quod donum fuit ei unctionis instar ac semper est cum eo — exiguum acceperunt Apostoli, atque ab eis successive omnes credentes recipiunt gratiam per ministerium sacerdotum decursu saeculorum, et per hoc * tamquam naturalem coniunctionem cum Christo adipiscuntur. Sicut enim supra particula quaedam naturalis minima, per inscrutabilem sapientiam Creatoris omnipotentis, efficit similitudinem naturalem, ita etiam hic pars gratiae spiritualis operatur participationem honoris et gloriae. Hinc sicut ille unus est, et nos omnes unus homo nominamur, cum unusquisque nostrum sit in toto membri instar; eodem modo qui in Christo nati sunt, corpus eius vocantur, et unusquisque eorum membrum eius; caput autem omnium nostrum Christus est. Si haec eadem iam alibi in explicatione evangelistae dicta sint, non est cogitandum haec superflua esse. Quotiescumque enim ad talia verba accedimus, qua eexplicari non possunt paucis verbis, omnino debemus ea recolere, praecipue quando figuratus stilus verborum occasionem praebet haereticis corrumpendi veritatem.

Naturaliter igitur coniunctus est Deus-Verbum Patri. Per

* p. 315.

1 *Rom.*, VIII, 11.

coniunctionem autem cum eo accipit et homo assumptus coniunctionem cum Patre. Atque nos similiter cum naturali coniunctione quam habemus cum Christo in carne, quantum fieri potest, recipimus etiam participationem spiritualem cum eo, et ei sumus corpus, unusquisque nostrum vero membrum. Itaque speramus postea resurgere sicut ille, ac regenerari in vitam aeternam. Ita ergo per eum ad Deum Verbum accedentes, necessario familiaritatem cum Patre accipimus. Quapropter dixit: (v. 11) *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quod dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos;* id est: quemadmodum me unisti Deo Patri mediante Spiritu, * et fecisti me dignum filiatione ita ut te vocare possim Patrem meum; ita etiam, collata gratia Spiritus, fac eos filios ut, sicut ego, sint et ipsi unum, eamdemque unionem tecum habeant et fidenter te vocent patrem. Eodem modo locutus est etiam Paulus, dicens: (*Accepistis*) *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater noster* [1]. Evidens ergo est, in Spiritu nos dignos esse adoptione filiorum et Deum a nobis vocari Patrem. *In nomine tuo* igitur *quod dedisti mihi,* in ipso hoc nomine serva etiam eos, et da eis gratiam Spiritus, ut et ipsi, sicut ego, possint te vocare Patrem, unus effecti per regenerationem spiritualem. *In nomine tuo* igitur dicit, id est Patris, quem invocabunt etiam ipsi, quando per Spiritum donati fuerint adoptione filiorum.

* p. 316.

Hinc incipit exhortari eos ut strenue sufferant tribulationes, dicens: (v. 12) *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo.* Non quod iam accepissent Spiritum adoptionis filiorum. Quomodo enim, cum ipse Dominus noster praeciperet discipulis, ut exspectarent promissum Spiritum quem audierunt, prout narrat Lucas? [2] At in forma orationis hoc dixit: Quamdiu cum eis eram, sollicitus fui de eis ne deviarent a timore Dei, ut possent per familiaritatem tecum adipisci illa, quae rogo illis dare, scilicet adoptionem filiorum.

Et quia dixit: (v. 12) *Servabam eos,* addit: *quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Insuper, ait, remanserunt omnes in

[1] *Rom.*, VIII, 15. — [2] *Act.*, I, 4.

dilectione tua, et nullus ex eis * erravit, excepto illo solo de quo iamdiu notum erat ita futurum esse. Introducta vero in suo sermone perditione Iudae, coniunxit mentionem eius illis quae dixit in eorum exhortationem, ut libenter perferrent mala sibi ab inimicis infligenda.

* p. 317

Verba autem illa: *cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos,* protrahit ordinate dicens: (v. 13) *Nunc autem ad te venio, et haec loquor in mundo, ut sit gaudium meum in eis perfectum.* (v. 14) *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* (v. 15) *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Sicut in forma orationis dixit quae sibi adventura sunt et quae postea futura sunt discipulis suis, ita etiam in orationis forma consolatur eos ob tribulationes eorum, docens eos ne animum deponant in iis quae sibi accident. Hoc ergo dicit: Quia profecturus sum e mundo, volo ut gaudeant in me, audientes quanto in honore ego futurus sim, ne animo deficiant in tribulationibus, quas propter praedicationem meam tolerabunt, etiam a mundo odio habiti. Propterea, inquit, rogo non ut tollantur de mundo, sed ut serventur ab eius malis. Et haec etiam in forma orationis dixit ut fiant eis. Hoc autem contigit eis per Spiritum, quando gaudebant patientes propter eum, iidem qui antea ob leves causas magistrum suum derelinquebant.

Postquam ita exhortatus est eos, iterum docet quae adventura sint eis. (v. 16) *De mundo non sunt, * sicut et ego non sum de mundo.* Ad regenerationem alludit, postquam non iam corpus Adae eiusque membra vocabuntur, sed Christi, et exinde de caelestibus deberent esse solliciti, prout et beatus Paulus dixit: *Conversatio nostra in caelis est* [1].

* p. 318.

Quomodo non amplius de mundo futuri sint, declarat dicens: (v. 17) *Pater, sanctifica eos in veritate tua.* Hoc erit, inquit, quando recipient sanctitatem veram. Intendit autem participationem Spiritus. Hoc verbum: *in veritate tua*, significat: vere et accurate. Haec est enim consueta expressio Libri sacri, atque frequens est eius usus apud beatum Davidem, verbi

[1] *Philipp.*, III, 20.

gratia: *Misericordia tua et veritas tua semper adiuvant* [1], quo significatur: misericordia tua vera. Deinde addit: *verbum tuum veritas est;* id est: hanc sanctitatem veram obtinebunt per Spiritum, prout tu voluisti et rogasti. Verbum eius enim vocat voluntatem et praeceptum Dei, sicut hoc: *Verbo Domini caeli facti sunt* [2], id est: voluntate ac praecepto eius.

Quando haec, inquit, contingent eis, extra mundum erunt, et aliam matrem putabunt se habere, Ierusalem caelestem. Quid inde sequatur, dicit: (v. 18) *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* Participatio enim Spiritus non solum dabit eis ut liberentur a malis, sed ita roborabit eos ut totum mundum peragrare * valeant praedicantes doctrinam religiosam, sicut et ego praedicavi.

* p. 319.

v. 19) *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Propterea, inquit, ego tradidi meipsum passioni, ut, illa adepti per me, et ipsi obtineant sanctitatem veram, id est, gratiam Spiritus; et ut possint praedicare veritatem, credentes in spe resurrectionis et exspectantes delicias regni caelestis. Quia haec omnia a Spiritu sancto data sunt eis, Dominus noster vero per passionem suam et resurrectionem paravit eis gratiam Spiritus, egregie dicit: *pro eis sanctifico meipsum, ut et ipsi sint sanctificati in veritate tua.* Verbis *sanctifico meipsum,* ad passionem suam alludit. Sed qui accedit ad hunc librum, scire oportet haec verba, in forma orationis prolata, esse prophetiam eorum quae adventura sunt discipulis. Ne ergo formam eorum consideret aut differentiam temporum, neve orationis formam qua efferuntur; sed cogitet illa esse prophetica verba circa eventus futuros.

Cum ergo Dominus noster dixisset, audientibus discipulis, quae adventura essent credentibus, ne putarent sibi solis illa esse futura, subiungit: (v. 20) *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Non tantum volo ut haec iis solis fiant, sed omnibus illis qui per eos credituri sunt in me. Quid ergo vis fieri? (v. 21) *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti.* Sicut illi,

[1] *Ps.* XL (*Vg.*, XXXIX), 11; *comp. Ps.* XCIV (*Vg.*, XCIII), 18. — [2] *Ps.* XXXIII (*Vg.*, XXXII), 6.

qui ad hanc vitam nascuntur et homines sunt, unum aliquod constituunt sub aspectu naturae; ita et illi, qui post mortem per resurrectionem nascuntur pro alio mundo, unum aliquod sunt in natura (spirituali), cum alii facti sint extra naturam corruptibilem, non iam, sicut in hac vita, Adamum considerantes tamquam caput et principium * exsistentiae suae, sed Christum in carne, qui ipse factus est eis principium illius vitae. Baptismus nempe est figura istorum, mortis scilicet et resurrectionis Domini nostri: Consepulti enim sumus cum illo tamquam in figuram mortis eius, prout etiam Apostolus dixit [1], et resurgimus cum eo, exinde ascendentes. Iure ac merito baptismus vocatur etiam nativitas, quia, in hac actione symbolica erga nos facta, iam per resurrectionem nati sumus ad vitam aeternam et incorruptibilem. Hoc ergo modo unum corpus Christi omnes nos vocamur, et caput omnium nostrum Christus est; per eum familiaritatem cum Deo Verbo accipimus et ita Patri coniungimur. Et haec clare beatus Apostolus ostendit, dicens: *Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus* [2]. Heic corpus compositum ex membris multis, nomine designatum Christi, vocat ecclesiam et congregationem fidelium. Quemadmodum enim « homo » vocatur Adam, unusquisque autem nostrum et omnes nos communicamus in hoc nomine; ita etiam qui per generationem spiritualem tamquam corpus Christi sunt, apte hoc vocabulo « corporis » denominantur. Quare et Apostolus, explicans et ostendens quemnam designet nomine Christi, ait: *Omnes nos in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus* [3].

* p. 320.

Igitur hoc dicit: omnibus concede ut recipiant coniunctionem nobiscum. Ex iis autem quae apud credentes contingent, agnoscent omnes me voluntate tua venisse, cum magnitudo bonorum, quae eis fient, manifesto ostendet me non sine te venisse, prout calumniantur Iudaei.

v. 22) *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Manifesto hoc probat, verba ista non esse * meram orationem pro obtinendis donis, sed prophetiam in forma orationis prolatam

* p. 321.

[1] Cf. *Rom.*, VI, 4. — [2] I *Cor.*, XII, 12. — [3] Ibidem, v. 13.

circa eventus futuros. Si enim ut daretur oraret, quomodo cum auctoritate diceret: *claritatem quam dedisti mihi, dedi eis?* Atque evidenter ostendit se non intendere aliud praeter istud dedisse, cum adiungat: (v. 22) *ut sint unum sicut et nos unum sumus.* (v. 23) *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.* Manifesta haec est repetitio eorum quae supra iam dixit. Ibi enim loquitur, quasi rogans adhuc ut eis detur; heic vero, quasi iam dedisset. Quomodo igitur petit, et simul dicit se dedisse? Si enim hoc est verum, ergo illud prius superfluum videtur; sin vero necessario deberet rogare, superbia erit in altera formula, nisi, prout diximus, orationis forma adhibeatur propter auditorum infirmitatem. Verba: *ut cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti,* idem significant quod supra dixit; scilicet, bona eis danda manifestabunt me non absque te venisse, atque probabunt eos in eadem dilectione erga me consortes esse, recepto dono filiationis adoptivae.

Postquam verbis illis docuit nativitatem spiritualem per baptismum, atque manifestavit eorum coniunctionem sibi, loquitur, in eadem forma orationis, de alio quod eis continget. (v 24) *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, et videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* * Illi, inquit, qui per fidem regenerantur in baptismo, adepta coniunctione mihi, volo ut semper sint mecum et mecum fruantur deliciis, videntes quam admirabilis sit honor meus, et convicti, per magna privilegia mihi concessa, te haud recenter illa de me cogitasse. Iampridem enim ante creationem universi, inscrutabili tua scientia, sciebas quis ego futurus essem, et iam dilexisti me praescientia tua atque constituisti me dominum omnium illorum bonorum. Hoc enim et virtuosis continget, ut intrent in caelum cum Christo, prout dixit etiam Apostolus: *Rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus*[1].

* p. 322.

Postquam dixit quae etiam credentibus futura sint, ostendit

[1] I *Thessal.*, IV, 17.

haec in iustitia illis fieri potius quam aliis hominibus; (v. 25) *Pater iuste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, et hi cognoverunt quia tu me misisti.* (v. 26) *Et notum feci eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* Iure ac merito enim, inquit, et ego magis ceteris hominibus in illis bonis fui, et iuste etiam ipsi consortes sunt mecum; quia dum nullus te novit neque agnoscere voluit, ego te cognovi; atque illi etiam, credentes verbis meis, acceperunt revelationem de te. Propterea iuste rogo, ut amor quo diligis me, etiam illos complectatur. Quid inde sequetur? *Ego ero in eis.* Idem ergo repetit quod supra. Donati enim gratia Spiritus et consortes facti filiationis adoptivae, hincque digni iudicati coniunctione cum eo, necessario etiam Dominus noster appareret tamquam caput corporis sui.

Ita finem * fecit Dominus noster verbis suis ad discipulos. Addit vero passionem suam tamquam completionem verborum suorum. Quare evangelista prosequitur dicens[1]: *Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus.*

* p. 323.

Explicit liber sextus.

LIBER SEPTIMUS.

[Cap. XVIII, 1]. — *Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius.* Hic etiam ostendit, prout iam pluries supra, se passionis conscium ratumque tempus eius instare, tanto a fugiendis probationibus remotum esse, ut sponte se tradiderit iis qui volebant comprehendere eum. Addit: (v. 2) *Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum hunc, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Ergo quo consueverat venit, quamvis posset etiam alio ire; sed ostendit se passionem haud vitare, quin contra sponte se tradere comprehendentibus se. Venit ergo Iudas post eum, ducens pontifices et Pharisaeos, ministros et turbam multam cum lampadibus et armis. Lampades attulerunt propter tene-

[1] Cap. XVIII, 1.

bras, ut eum viderent; arma vero, quia intendebant, si quis se opponeret eis propter Iesum, armis uti contra illum.

v. 4) *Iesus itaque, sciens omnia quae ventura sunt super eum, processit et dixit eis: Quem quaeritis?* (v. 5) *Responderunt: Iesum nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem* * p. 324. *et Iudas traditor cum eis.* (v. 6) *Ut ergo dixit * eis Iesus: Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.* Hic etiam ostendit evangelista, Iesum voluntarie non fugere a passione; quin potius, certo sciens eius imminentiam, egressus est obviam comprehendentibus se. Deinde cum interrogasset eos quem quaererent, ipsi vero respondissent: Iesum nazarenum, et cum dixisset eis: *Ego sum*, ceciderunt retrorsum. Haud quomodocumque fecit hoc Dominus noster, sed ut coram omnibus ostenderet se facillime posse eos destruere si vellet. Sed ultro accepit passionem propter omnium hominum utilitatem. Qui enim mero verbo proiecit omnes in terram, quanto magis poterat, adhibita sua potentia, omnes illos perdere. Egregie autem alludit evangelista ad hoc quod et Iudas stabat inter illos, ut pandat duritiem voluntatis eius, quippe qui, hoc videns fieri, neque a proposito suo conversus sit.

Dominus noster ergo iterum interrogabat eos; et cum denuo dixissent quem quaererent, respondit, non sinens ut idem ac prius illis accideret; sufficiebat enim ad demonstrandam potentiam eius, ut semel hoc evenerit. Faciebat exinde quod pro oeconomia nostrae salutis oportebat fieri. Postquam enim dixit: *Ego sum*, addidit: (v. 8) *Si me quaeritis, sinite hos abire.* (v. 9) *Ut impleretur sermo quem dixit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Non propterea salvi relinquuntur discipuli eius, ut adimpleatur quod dixit; nam quia sciebat quid futurum esset, ideo praedixit. Sed consueto stilo utitur etiam hic Scriptura ita exprimens quod certo futurum erat.

* p. 325. v. 10) *Simon autem Petrus * habebat gladium,* et propter magnum suum amorem accensus ira vehementi, eduxit eum et abscidit auriculam servi summi Pontificis, nomine Malchi, prout dixit evangelista. Quid ergo dixit Dominus noster ad Simonem? (v. 11) *Mitte gladium in vaginam suam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Hoc non est neces-

sarium, inquit; oportet enim sufferam passionem, quia hoc vult Pater pro redemptione totius generis humani. Verba ergo: *non bibam illum*, interrogative legenda sunt, id est oportet me bibere. Lucas vero dixit, Dominum nostrum auriculam servi reposuisse atque sanasse[1], ut etiam sanando infirmos manifestet suam virtutem, et per haec ostendat se ultro voluisse pati, nolens ulli nocere. Si hoc vero deest apud hunc evangelistam, non est cur miremur. Solent enim homines non eodem modo narrare quae apud omnes contigerunt. Sed alii omnia narrant nihil omittendo; alii vero minime referunt quae scopo narrationis suae non inserviunt. Hoc est exemplum inordinationis narrationum evangelistarum, qui, suos libros scribentes, nec inter se convenerunt, nec ad invicem contulerunt opiniones suas; sed unusquisque eorum seorsim scripsit circa tramitem factorum, prout sibi visum est. Atque iterum notetur, quod pluries diximus, beatum Iohannem nempe praecipue curasse, ut quae ab aliis erant omissa referret, et tunc tantum recolere quae a sociis suis iam dicta sunt, quando aut narrationis ordo, aut aliquid aliud omnino notandum, cogit eum ita agere.

Cum per ista ostendisset * suam potentiam, Dominus noster * p. 326. ultro se tradidit et ligatus est. Duxerunt eum primo ad Annam, quia erat socer Caiphae Pontificis. Sequebantur autem eum discipuli, Simon Petrus et Iohannes qui scripsit hoc evangelium. Iohannes, quia notus erat pontifici, sine timore ingressus est atrium. Simon vero extra portam stabat solus, quia nullum habebat, quo mediante confidenter ingrederetur. Iohannes ergo, videns Simonem non intrare, egressus est et dixit ostiariae ut sineret eum intrare. Illa vero permisit verita eius familiaritatem cum pontifice. Cum ergo Simon ingrederetur, rogavit eum ostiaria, numquid esset de discipulis Iesu. Ille vero negavit. Deinde stabant servi et ministri calefacientes se prope ignem quem fecerant, quia frigus erat. Stabat autem cum eis et Simon statim atque ingressus est, et calefaciebat se. Interrogabant ergo qui prope ignem stabant, numquid ex discipulis Iesu esset. Cum autem negasset, unus

1 Luc., XXII, 51.

ex servis, cognatus eius cuius auricula abscissa fuit, stans ibi dixit se eum vidisse in horto cum illo. Ipse vero iterum negavit. Et postea cantavit gallus, secundum verbum Domini nostri, ut increparet arrogantiam Petri et veritatem praescientiae Domini nostri comprobaret. Attamen evangelista non observat in narratione sua eum historiae ordinem, quem retulimus. Sed postquam dixit servos et milites posuisse ignem, ipsosque se calefacere propter frigus, Simone stante etiam cum eis, praetermisit narrare primum quod postea accidit, et convertit se ad quaestionem quam ponebat pontifex Salvatori nostro, quando introduxerunt eum iudicandum coram illo, et dicit: (v. 19) *Pontifex ergo interrogavit Iesum de * discipulis suis et de doctrina eius*, id est, interrogabat eum quid discipulos suos doceret. Cui Dominus noster concise respondit: (v. 20) *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* (v. 21) *Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quid dixerim ego.* Ne respondendo daret praetextum cogitandi, illos merito ipsi infligere poenam propter eius verba, dicit: Si non publice dixissem quae sit mea doctrina, oporteret nunc interrogare ad habendam accuratam cognitionem. Cum vero manifesto, omnibus Iudaeis praesentibus, coram universo populo frequenter docuerim, et ideo multi sint testes verborum meorum, illos interrogate, illos, inquam, qui utique non mentientur propter me. Haec autem cum dixisset, unus ex ministris, qui stabat prope eum, dedit ei alapam, quasi audactius respondisset pontifici. Atque Dominus noster demisso verbo respondit, dicens: (v. 23) *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* Quid, inquit, vituperas quoad formam responsi mei, non examinato eius contento? Si illud quod dixi non est verum, proba; si autem verum est quod dixi, quare me caedis?

Post haec, inquit evangelista, Dominum adhuc ligatum misit Annas ad Caipham. Cum vero in narratione sua interposuerit quae a pontifice dicta sunt ad Iesum, et quae ipse Iesus respondit ei * etc., tunc reversus est ad contextum praecedentem, dicens interrogatum fuisse Simonem ab iis qui cum eo

* p. 327.

* p. 328.

stabant prope ignem, ipsumque negasse etc., secundum ordinem quo haec retulimus supra. Hoc non temere fecit, sed ut ordine quo res evenerunt contexeret narrationem suam. Manifesto enim, cum adhuc prope ignem staret Simon et qui cum eo erant, intus apud pontificem interrogatio Domini nostri locum habebat. Interrogatione autem appropinquante ad finem vel finita, quando iam iussus erat Dominus ire ad Caipham, tunc interrogatus est Simon ab iis qui cum eo prope ignem stabant, atque negavit. Dum vero procedebat adhuc vinctus, negatio triplex evenit cantante gallo. Beatus Lucas his narratis addit: *Et conversus Dominus respexit Petrum; et recordatus est Petrus verbi Domini, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis*[1]. Manifestum est Dominum non respexisse ad eum dum intus erat coram tribunali, sed quando deducebant eum.

His subiungit evangelista, dicens: (v. 28) *Adduxerunt Iesum a domo Caiphae ad praetorium. Erat autem mane,* — ne verbo dicto de eo quod accidit coram Caipha, nequidem utrum interrogasset eum annon; sed solummodo dicit eum fuisse deductum ab Anna ad Caipham, et nunc a Caipha ad praetorium. Cetera vero, utpote iam descripta ab aliis, ipse narrare noluit. Recoluit vero Annam eiusque interrogationem cum responso Domini nostri, quia hoc ab aliis fuerat omissum.

Hoc vero oportet observemus: diversi evangelistae haec quae coram Caipha et postea coram * pontifice dicta fuerunt, diversimode narraverunt, alii hoc, alii illud dicentes, prout audivit vel meminit unusquisque eorum. Nam fere omnes discipuli Domini nostri fugerunt, quando Iudaei comprehenderunt eum. Et hoc, meo iudicio, est signum sinceritatis eorum narrationis quod non solum in verbis discrepant sed et in locis; unicuique eorum satis fuit dicere quod scripsit, etsi multa fuerint quae operatus est Dominus noster aut quae ab aliis eidem facta sunt.

Ipsi vero (Iudaei) noluerunt intrare in praetorium, ne haberentur ut immundi ad manducandum Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et petiit ab eis quaenam esset eorum accusatio

* p. 329.

1 Luc., xxii, 61.

adversus eum. Ipsi autem omiserunt declarare causam; sed cum auctoritate sententiose confirmabant causam, propter quam merito comprehenderant eum, dicentes: (v. 30) *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Pilatus ergo iure respondit iuxta verba eorum. Dicit enim eis: (v. 31) *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum.* Siquidem vobis ipsi iudicium arrogatis, ipsi quoque inquirite, prout vultis. Sin vero me vultis virum iudicare, etiam causam proferatis necesse est. Quid ergo dixerunt Iudaei? *Nobis non licet interficere quemquam.* Hoc autem dicebant propter Pascha, ac si tradentes eum occidendum, non ipsi occiderent eum. Addit evangelista: (v. 32) *Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus;* hoc volens dicere: passio eius debebat impleri secundum eius praedictionem, quatenus nempe ab illis etiam tradendus esset gentibus.

* p. 330.

Cum haec dixissent * Iudaei, iterum intravit Pilatus et vocavit Iesum, dixitque ei: (v. 33) *Tu es rex Iudaeorum?* Hoc enim contra eum dixerant Iudaei, scilicet, eum velle Romanorum legem subvertere ac moliri sibi restituendum Iudaeorum regnum, ut excitarent in eum iram iudicis. Quid ergo respondit Dominus? (v. 34) *A teipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* Quia eum solum introduxit interrogabatque, atque evidenter hunc favorem Iudaeis faciebat, nam leges iubent ut adsint accusatores, qui primum cum proprio periculo accusationem dicant; iudices vero cum iustitia aeque audiant, sententiam laturi in accusatores, si hi post inquisitionem et examen appareant esse detractores, ideo Dominus noster innuit illum non agere secundum debitum ordinem, dicens: Numquid tu accusas me, an ab aliis audiisti? Nam cum nullus alius adsit, nescio quis accusaverit me.

Pilatus autem his verbis stimulatus ait: (v. 35) *Ego non sum Iudaeus.* Concives tui tradiderunt te. Quid fecisti? Loquere. Contra haec breviter respondit Dominus noster dicens: (v. 36) *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ne traderer Iudaeis. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Si, inquit, hoc a me petis, an Iudaeorum regnum rapere velim, scito me utique regem esse; at regnum terrestre non possideo,

secus milites mei pro me certarent, ne noceant mihi inimici mei. Nunc autem quia ita inermis et sine ullo certamine traditus sum illis qui volebant me comprehendere, evidens est diversae naturae esse * regnum meum, in quo cum fuero, necessario victor ero.

* p. 331.

Ad hoc dicit Pilatus: (v. 37) *Ergo rex es tu?* Quamvis enim haud clare locutus esset Dominus noster, attamen intellexerat (Pilatus) eum hoc significare voluisse verbis suis. *Respondet Iesus: Tu dicis me regem esse.* Quamvis, inquit, dignitatem regiam ego habeam, vito tamen hoc omnino clare dicere, volens me servare a suspicione superbiae. Atque manifestans causam quare vitaret publice loqui de dignitate sua, ait: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Abstineo quidem ab aperta affirmatione, attamen veritatem non abscondo. Missio enim mea haec est, ut clare omnia loquar; at quia non cuiuslibet est audire veritatem et credere quae dicuntur, evidens est mihi non esse loquendum aperte ubi non oportet, ne locum dem suspicioni vanae gloriae, quasi in vanum gloriarer de dignitate quam non habeo.

Quibus auditis, dicit ei Pilatus: (v. 38) *Quid est veritas?* Non ut addiscat interrogat, sed dubitans de eo quod dictum est. Atque hoc patet ex eo quod statim ac hoc dixerat, iterum egressus est ad Iudaeos, dicens eis: Ego non invenio eum dignum morte; sed quia adest tempus quo solet vobis dimitti unus e damnatis quem vos petitis, dimittam vobis hunc, si vultis. Illi autem clamaverunt: *Non hunc, sed Barabbam,* latronem qui propter homicidium carcere inclusus erat.

* p. 332.

[Cap. XIX, 1]. — *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit eum.* Quia vero pontifices * accusabant eum, quod vellet conspirare contra Romanorum legem et regnare super Iudaeos, milites deridentes eum quia in vanum desideravit rem sibi superiorem, (v. 2) *plexerunt coronam ex spinis et imposuerunt capiti eius; et veste purpurea circumdederunt eum.* Atque percutientes eum in genas, dicebant: (v. 3) *Ave, rex Iudaeorum.* Quo facto, iterum exivit Pilatus ad Iudaeos et dixit eis: (v. 4) *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia*

nullam invenio in eo causam. Exivit autem portans in capite coronam spineam et indutus veste purpurea qua induerant eum milites. Dum Pilatus eum ostendebat illis, clamaverunt pontifices et ministri: Crucifigatur! Dixit ergo eis Pilatus, ut acciperent eum ipsi et crucifigerent ubi vellent. Putavit enim se levius semetipsum onerare, tradendo eum illis ut facerent prout vellent, quam haud probata sententia condemnationem ferendo. At Iudaei contra illud allegabant legem suam dicentes: Dignus est morte, quia audacter dixit se esse Filium Dei. Cum hoc audisset Pilatus, magis adhuc timuit propter hunc sermonem. Audiverat enim etiam iam de miraculis ab eo patratis. Et ingressus est praetorium iterum, et petebat ab eo undenam esset. Speravit se hoc modo scire posse, an vere esset Filius Dei. At cum Dominus noster merito non responderet propter quaestionis ineptiam, Pilatus, volens eum verbis suis confundere, dixit: Responde mihi; habeo enim potestatem dimittendi te, vel non. Quid ergo Dominus? (v. 11) *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* * *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Falleris, inquit, non tua potestate patior ego; et nisi sciret Deus hoc esse in omnium utilitatem, non consentiret tolerare quae erga me fiunt. Scito autem etiam maiorem punitionem quam tibi infligendam esse illis qui me tibi tradiderunt; quia revera peccatum maius commiserunt, cum omnium horum sint causa. Volebat Pilatus dimittere eum propter verba haec, et forte etiam quia compertum habebat haec dicta esse iusta. Iudaei vero dicebant: (v. 12) *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari.* Rebellavit contra Romanorum regimen, et eorum imperium vult dividere. Si eum vivere relinquas, regis adversario vitam concedis. His auditis, Pilatus timuit, et adducto Iesu foras sedit pro tribunali. (v. 14) *Erat autem parasceve,* id est, feria sexta hebdomadis, et hora itidem (sexta).

Pro illis qui putant evangelistarum verba sibi contradicere, aliis dicentibus hora tertia, aliis hora sexta, oportet circa hoc necessario aliquid dicamus. Pariter atque Iohannes, dixerunt Matthaeus et Lucas ab hora sexta tenebras fuisse [1]. Statim

[1] MATTH., XXVII, 45; (MARC., XV, 33); LUC., XXIII, 44.

enim atque exivit Pilatus ac sedit pro tribunali, tradidit Iesum crucifigendum; et postquam cruci affixus est, inceperunt tenebrae esse, prout dixerunt evangelistae. — Quod autem Marcus dixerit horam fuisse tertiam [1], non est mirum propter multas rationes. Primo, quia his eventibus non fuit praesens; deinde, quia non fuit discipulus Domini nostri, sed * a Petro, vel ab aliquo alio apostolo didicit; tertio, quia de momentis et horis omnes homines diverse opinantur, nec ullum detrimentum advenit narratis factis ex dubio circa horas. Insuper oportet praecipue notemus, Marcum non de facto aliquo determinato et noto dicere horam fuisse tertiam. Sed simplici modo ac generatim narrans quae evenerunt, recte dixit ea locum habuisse hora tertia, ita designans totum intervallum temporis quo haec evenerunt; deinde addidit: *crucifixerunt eum.* Ergo hoc: *erat hora tertia,* refertur ad narrationem omnium eorum quae interim evenerunt; illud autem: *crucifixerunt eum* deinde additur ordinate quoad praecedentia.

Pilatus ergo illudendo Iudaeos dicebat: *Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Crucifigatur.* At Pilatus vituperando eos quod iniuste agerent, et simul spernendo eos, dicit: (v. 15) *Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Caesarem,* ut per hoc confundant eum, et ut invitus cogatur occidere eum. Post haec verba tradidit eum illis crucifigendum.

Hoc vero sciamus oportet. In die Paschatis, quo negaverunt Dominum nostrum et confessi sunt Caesarem esse suum regem; in ipsa hac die, scribente Iosepho in historia de excidio Ierusalem [2], iam motum est contra eos bellum Romanorum. Omnes Iudaei, qui undequaque congregati erant in Ierusalem, tamquam in carcere, ibi multa mala passi sunt: multi ex eis fame consumpti, multi gladio et insidiis interempti; fere omnes demum variis punitionibus * perierunt.

Itaque Pilatus, quamvis nollet tradere Dominum nostrum Iudaeis, quia, consideratis eius factis, nulla punitione eum dignum invenit, demum tamen post multum consensit verbis

[1] MARC., XV, 25: « *Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum* ». —
[2] *De Bello Iud.*, V, 3, *1*; comp. V, 13, 7.

illorum qui incusso timore petebant eum. Tradidit ergo eum illis, et susceperunt eum, et eduxerunt eum, ut crucifigeretur.

Dixit vero evangelista: (v. 16) *Susceperunt Iesum, et eduxerunt.* (v. 17) *Et baiulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha;* (v. 18) *ubi crucifixerunt eum.*

Quidam etiam hic putarunt, haud concordare verba evangelistarum inter se; quia Iohannes dixit: *Baiulans sibi crucem exivit,* dum alii scripserunt: *Apprehenderunt Simonem Cyrenaeum, ut tolleret crucem eius* [1]. At utrumque contigit. Cum enim Pilatus sententiam in eum tulisset eumque tradidisset eis crucifigendum, imposuerunt ei crucem et ita eduxerunt eum e tribunali. Dum autem procedebant ad Calvariae locum, ubi erat crucifigendus, inciderunt in Simonem eique crucem imposuerunt. Illi ergo evangelistae hoc dicere voluerunt. Iohannes vero, hic etiam scopo suo intentus, narravit tantum quod aliis deerat. Et ne extendamus librum, repetendo fuse quae ab aliis dicta sunt, pono hic, in certam confirmationem verborum illorum, Lucae verba tantum: *Et cum ducerent eum, apprehenderunt quemdam nomine Simonem Cyrenaeum, venientem de agro, et imposuerunt ei crucem eius, et sequebatur eum* [2]. Ergo Iohannes hoc dixit: Baiulans sibi crucem, exivit. Lucas vero: Cum ducerent eum, imposuerunt crucem eius super Simonem Cyrenaeum, venientem ab agro. Evidens est hoc posterius accidisse, dum procedebant per viam, illud autem, statim ac decreta est in eum * mors, quando exivit e tribunali. [* p. 336.]

Crucifixerunt ergo etiam cum eo latrones, unum ex hac parte alterum ex illa. Pilatus autem, intendens iterum illudere Iudaeis, scripsit titulum et affixit cruci eius; atque cum vellet notam facere causam quare crucifixus esset, iussit scribi: *Rex est Iudaeorum,* latine, graece et hebraice, ut omnes legentes magis deriderent eos. Pontifices vero, derisione intellecta, petebant ab eo ne ita simpliciter scriberet: Rex est Iudaeorum, sed ipsum hoc de semetipso dixisse. Pilatus non acquievit

[1] Matth., xxvii, 32; Marc., xv, 21; Luc., xxiii, 26. — [2] Luc., xxiii, 26.

petitioni eorum; sed scriptum reliquit prout scriptum.

Ita ergo crucifixo Domino nostro, milites, ibi in servitium sententiae positi, in quattuor partes diviserunt vestimenta eius, et unusquisque eorum recepit partem secundum numerum suum. Tunicam vero noluerunt dividere; « sed (dixerunt) mittamus sortem super eam, ut ille, cui sors ceciderit, accipiat eam ». Vitarunt scindere eam, quia nullo modo fuerat consuta, sed tota contexta desuper. Multi enim tunc non tantum secundum hodiernum usum vestes contextas faciebant; sed etiam pannos in formam cucullorum texebant, et deinde consuebant ea desuper contra scapulas, hoc modo providebant usui indumenti; quod etiam hodie solet fieri pro vestimento militum. *Inconsutilis* ergo *desuper contexta tota,* id est non erat sutura coniuncta, sed sicut tunicae hodiernae erat contexta. Quibus addit evangelista: (v. 24) Ut adimpleatur Scriptura quae dixit: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem* [1]. Haec fecerunt milites.

(v. 25) *Stabant autem iuxta crucem Iesu * mater eius et soror matris eius et alia Maria.* Stabat etiam ibi Iohannes. [* p. 337.] Cum esset Iesus in cruce et vidisset eos stantes, matrem suam nempe et Iohannem, dixit illi: *Ecce filius tuus,* huic vero: *Ecce mater tua,* his verbis magnum suum amorem erga eum ostendens et tamquam alterum seipsum considerans, cum vellet ut sui locum apud matrem teneret. Itaque et Iohannes his commotus statim accepit eam, et fuit illa cum eo. Videtur autem Dominus propter multa iure ac merito dilexisse Iohannem; nam ipse solus ex omnibus discipulis remansit apud eum post tribulationes illas.

(v. 28) *Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, et ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* (v. 29) *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* (v. 30) *Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum.* Per haec significare vult evangelista ipsum propter debitam oeconomiam et non ex necessitate sus-

[1] *Ps.* xxii, 18 (*Vg.*, xxi, 19).

cepisse passionem. Itaque sciens aliquid deesse perfectae adimpletioni libri verborum prophetarum, petiit bibere aquam; et cum ei datum esset acetum, inclinavit caput, atque exivit spiritus eius, ut appareat etiam hoc esse factum quando voluit. (v. 31) Iudaei vero ne iterum viderentur violare diem festum, sollicite curarunt ne remanerent corpora cruci affixa absque sepultura. Itaque quasi misericorditer quid agerent, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura. Nam quia impossibile erat eos sepulturae tradere priusquam essent mortui, possibile vero erat ut, quamdiu erant in cruce, vivi paterentur, hoc voluerunt facere * mandato iudicis ut statim morerentur crurium confractione, et etiam ut ipsi possent ante vesperam celeriter sepelire corpora illorum. Hoc ergo mandato a iudice accepto, milites fregerunt crura latronum. Ut autem pervenerunt ad Iesum ac viderunt eum iam mortuum, — non enim voluit adstringi lege naturae, sed omnia agens secundum suam voluntatem deposuit spiritum, — ideo dereliquerunt eum. Quia inutile videbatur eis ut frangerentur eius crura, unus ex militibus, quibus hoc faciendum commissum erat, volens certo scire an mortuus esset, percussit latus eius lancea, et continuo exivit sanguis et aqua; — aqua, quod signum erat regenerationis (per baptismum); sanguis vero, signum mysterii eucharistiae. Additque evangelista, dicens: (v. 35) *Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dixit, ut et vos credatis.* Alludit autem ad semetipsum, quia semper de seipso loquitur nullo expresso nomine; hinc clarum est Iohannem hucusque istis adfuisse. Videtur etiam insinuare emissionem aquae et sanguinis non ita locum habuisse, ut omnibus manifesta foret, sed multis invisibilis remaneret. Hoc enim indicat dicens: *et ille qui vidit, testimonium perhibuit,* significans seipsum solum et vidisse et testimonium perhibuisse de hoc eventu. Dignus autem erat qui crederetur circa hoc, quamvis solus dixerit se vidisse et testimonium perhibuisse. Deinde recordatus est etiam verborum Scripturae; nam prout scripta sunt, illa evenerunt. Hoc ergo modo evenit mors Domini nostri.

Vir quidam, nomine Ioseph ab Arimathaea, qui erat discipulus Iesu, — propter metum vero Iudaeorum non erat * multis notus, — accessit et petiit a Pilato, ut sibi permitteretur tollere corpus Iesu ad illud sepeliendum. Cum iussisset hoc fieri, ipse et Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, copiose attulit quaecumque necessaria erant ad sepulturam, et omnia quae erga mortuos solent fieri cum cura implevit, involvens eum linteis et aromatibus multis; atque magno cum honore, secundum legem Iudaeorum, sepelivit eum.

Accidit ergo, Deo ita disponente, ut hortus esset in loco ubi crucifixus erat; et in horto sepulcrum novum habebatur, in quo nondum quisquam positus fuerat. Hoc autem utile erat, ne ullum dubium circa resurrectionem Domini nostri haberetur. Cum enim ipse solus in hoc sepulcro positus fuerit, et cum postea quaerentes non invenerint eum, apparet manifesto ipsum et non alium resurrexisse. Posuerunt eum igitur ibi, tum propter vicinitatem loci, tum propter diem. Non enim licebat eis in hoc festo inter multos deducere mortuum, neque ad alium locum eum transferre.

[Cap. XX]. — Hucusque dixit quae in eius sepultura evenerunt; hinc incipit narrare de eius resurrectione.

De ipsa resurrectione non dicit quomodo facta sit, nec ullus ex aliis hanc narrationem videtur aggredi: putaverunt enim sibi non competere de re tam elevata supra mentem humanam loqui. Dicunt ergo omnes quomodo ipsis manifestata sit resurrectio, et quomodo, postquam firmiter crediderunt eam fuisse, publice eam praedicaverint, quomodo etiam libenter consenserint pati dum eam annuntiant. Et quia non aliter innotuit eis resurrectio, nisi quia * iverunt mulieres die tertia ad complendum consuetum ritum erga mortuum, — inde enim inceperunt agnoscere eam, — omnes pariter post sepulturam convertunt se ad historiam mulierum.

Dissentientibus videtur, etiam hic verba evangelistarum inter se non concordare. Mihi autem contrarium videtur, et ex ipsis sententiis certus sum illa perfecte consentire. Oportet necessario singillatim referre verba, quae a quattuor evangelistis de resurrectione dicta sunt.

Dicit ergo Iohannes: (v. 1) *Prima die hebdomadis, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad sepul-*

crum. Matthaeus vero: *Vespere sabbati, quae lucescit in primam diem hebdomadis, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum* [1]. — Lucas autem: *Prima die hebdomadis, mane, cum adhuc tenebrae essent, venerunt ad sepulcrum, portantes quae paraverant aromata, et erant cum eis aliae mulieres; et invenerunt lapidem revolutum a sepulcro* [2]. Marcus vero: *Mane, prima die hebdomadis, veniunt ad sepulcrum, orto iam sole. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio sepulcri? Et respicientes viderunt revolutum lapidem a sepulcro. Erat quippe magnus valde* [3].

Haec est traditio quattuor evangelistarum circa resurrectionem.

Quid intendant dicere qui volunt increpare verba eorum utpote discrepantia, nescio ego. Si enim omnium eorum circa resurrectionem non fuisset eadem mens; aut quoad diem quo evenit, si non scripsissent eumdem fuisse; aut quoad mulieres, si non omnes unanimes dixissent * illas primum venisse ad sepulcrum, mortui honorandi causa, toleranda forsitan foret illorum increpatio vana et inepta. Si vero in omnibus illis perfectum consensum produnt, dum omnes resurrectionem praedicant, et eumdem diem indicant, dicuntque mulieres primum venisse ad sepulcrum, quid volunt ergo de momentis discutere, nescio ego; cum, meo iudicio, non aliud requiratur ad confirmandam veritatem eorum quae dicta sunt, quam ut in verbis ad haec necessariis magnum prodiderint consensum; in minutis vero, et in illis quae prout homines parvi penderunt, inveniuntur haud concordare verba eorum, quoad momenta scilicet et horas est discrepantia et dissensio eorum. Si enim decipere voluissent, eadem foret eis sententia in omnibus verbis; nihil impediebat eos qui decipere vellent, quominus inter se convenirent, ut perfectam concordiam servarent in narratione sua. Sed quia facta volebant narrare et unusquisque eorum seorsim scribebat historiam suam, necessario exinde in minutis discrimen habebatur. Multa enim habentur propter quae hoc eis accideret; primo quidem, quia non omnes fuerunt e discipulis qui cum Domino nostro versati sunt; Lucas enim et

[1] xxviii, 1. — [2] xxiv, 12. — [3] xvi, 2-4.

Marcus non erant de numero eorum qui eum semper comitati sunt; secundo, neque alii adfuerunt iis quae in fine acciderunt, cum in tumultu horum eventuum fugerint. Ego igitur etiam in illis quae calumniatoribus videntur dissonantia, invenio, post accuratum examen, perfectum consensum, quem et pandere volo debita attentione examinando verba illa, etiam si (primo) * auditu videantur discrepantia.

In prima ergo die hebdomadis, tempore nocturno, locum habuit resurrectio Domini. Hoc est manifestum, non tantum ex eo quod nos ubique terrarum unanimi consensu commemorationem festi agimus et sollicití convenimus momento gallicantus, quasi hoc tempore surrexerit Salvator noster, et convenienter nos etiam eadem hora conventum ecclesiae dimittimus; sed idem apparet ex libris evangelistarum, qui omnes unanimiter scripserunt hunc esse diem.

Dicit enim Iohannes: *mane, cum tenebrae essent.* Hoc *mane* non de tempore matutino dicit heic. Non enim dicit: cum adhuc essent tenebrae, quod oporteret dici si de tempore matutino loqueretur. Sed scripsit: *cum tenebrae essent,* id est die sequenti, quando incepit nox, voce « mane » designans diem, ut diceret nempe diem post sabbatum. Solet enim Scriptura diem unum merito vocare noctem diemque, quia sol, post cursum suum per totam noctem diemque totum, faciebat principium diei sequentis, revertens ad locum suum in occidente. De quo clare testimonium reddit Moyses, dicens: *fuit vespere, et fuit mane, dies unus* [1]; et ita loquitur de die secundo, de die tertio et de ceteris. Iamvero evidens est ab eo « diem » vocari tempus nocturnum diurnumque. Et bene quidem, quia sol in perpetuo suo cursu illuminat omnem locum in quo est, ita ut semper tempus diurnum habeatur propter solem semper lucentem. Apud nos autem discrepant eius tempora, et tunc censemus diem haberi quando sol apud nos videtur; noctem vero appellamus tempus quo a nobis distat sol. Hoc ergo dicit Iohannes: In prima die hebdomadis mane, designans diem * sequentem; id est: in prima die hebdomadis, cum tenebrae essent, ut significet: quando incepit nox, venerunt mulieres, ut debito honore iuxta morem fungerentur.

[1] *Gen.*, i, 5.

Et huic concordat quod dixit Matthaeus[1]: *Vespere sabbati, illucescente prima die hebdomadis,* cum vocet heic *vesperam* non momentum quo terminatur dies et incipit nox, sicut nos dicere solemus, sed noctem ita designat. Sicut quando (Moyses) dicit: *Fuit vespere et fuit mane,* non vocat *mane* momentum matutinum, principium diei, neque *vesperam* principium noctis; sed vesperam vocat noctem, mane vero tempus diurnum. Ita etiam (Matthaeus) vesperam vocat noctem. Igitur quia dixit: *vespere sabbati,* id est, vespere post sabbatum, ut designaret noctem; de quanam vespera sabbati loquatur, utrum de nocte sabbatum praecedenti, an de nocte sabbatum sequenti, quae est pars diei primae hebdomadis, hoc (indicat) addens: *illucescente prima die hebdomadis,* id est, nox in qua incipit prima dies hebdomadis. His etiam consonare verbum Lucae dicentis[2]: *Prima die hebdomadis, mane, cum adhuc tenebrae essent, venerunt ad sepulcrum,* quis non videt? Videtur autem calumniatoribus illis, qui mordicus student insistere obiectioni, textum Marci revelare discrepantiam; quamvis ipse etiam de eadem die loquatur, de factis eodem modo, et de resurrectione non diverso modo praedicet. Quoad discrepantiam vero horarum, quis nescit quam frequenter hoc accidat, ut idem tempus hic vocet horam tertiam, ille quartam, alius demum aliter. Quia revera difficile est accurate discernere horas tempore noctis; immo et horae diei non facile cognoscuntur, si densis nebulis * abscondatur sol. Hoc etiam calumniatoribus dicere possem. Si verba Marci videantur dissentire, oportet considerent concordiam trium aliorum esse firmam, ac tanto firmiorem quod duo ex illis fuerint ex numero illorum qui secuti sunt (Iesum). Marcus autem, prout dicunt, discipulus fuit Simonis et Christum non est secutus. Qui reprehendunt eius discrepantiam hoc loco, deberent admirari eius concordiam aliis locis. At hoc nolo dicere adversus illos, ne existimer absque argumento coactus ad verba haec confugere. Sed ostendam verba Marci nullam continere antinomiam, atque omnia bene quadrare cum verbis illis, si quis ea congruenti modo et cogitatione humana examinare velit.

* p. 344.

[1] xxviii, 1. — [2] xxiv, 1.

Claritatis causa dicendorum, omnino oportet dicamus primo seriem eventuum secundum ordinem evangelistae Iohannis, deinde ostendemus suppositam discordiam verborum Marci esse perfectam concordiam. Hoc etiam sciendum est. Illa quae evenerunt in resurrectione, quae multa sunt ac varia, ex quibus primo confirmata est fides resurrectionis, breviter narraverunt alii evangelistae, nec curarunt indicare ordinem quo illa evenerunt. Tamquam rem vero omnino utilem iis qui volunt scire quomodo singula haec evenerint, Iohannes sollicite curavit quod ab aliis neglectum fuit facere, id est congruenti ordine narrare quae evenerunt. — Et propterea hoc etiam omnino * notandum est. Quando alii dicunt plures mulieres venisse, ipse de sola Maria mentionem facit, quia successio eventuum cogebat eum hoc facere. Aliae enim mulieres, cum non invenissent corpus positum in sepulcro, singulae reversae sunt ad locum suum. Maria vero, propter magnum suum dolorem, noluit sicut illae abire et quiescere, sed ivit nuntiare discipulis, corpus iam non esse in sepulcro, sperans fore ut diligentia illorum corpus invenire posset. Putabat enim aliquem corpus e loco dimovisse; hoc apparet ex verbis eius ad apostolos. Reversa est ergo cum eis ad sepulcrum, et postquam illi abierunt, noluit ipsa recedere a sepulcro; itaque meruit etiam ante omnes videre Dominum nostrum suscitatum. Ut hoc igitur ageret is evangelista, ordine ipso eventuum coactus est. Quod autem aliae mulieres venerunt prius cum ea et dein reliquerunt eam et abierunt in locum suum, non censuit in libro suo scribendum esse. Hic enim fuit eius scopus; primo, ut ordinate narraret quae evenerunt; deinde, ut manifestaret amorem quem Maria actu probavit; minime autem ut alias accusaret. Ex multis aliis revera facile est cuilibet volenti, scire magnam fuisse Mariae dilectionem erga Dominum nostrum. Magna cura fuit evangelistae hoc etiam ostendere. Sicut enim semper accusat incredulos, — hoc iterum recolimus, et iam ab initio diximus, — ideoque narrat omnia, nihil omittendo eorum quae nullam excusationem relinquant adversariis; ita iuste etiam vult publice honorare illos qui * non tantum crediderunt, sed etiam magno amore fidem suam demonstrarunt. Accedamus ergo ad illud quod promisimus,

* p. 345. — * p. 346.

et dicamus ordinem eventuum, quem etiam hic evangelista observavit in narratione sua, ostendamusque concordiam verborum Marci cum sociis eius.

Dicit igitur: Venit Maria Magdalene tempore nocturno, ut adimpleret erga eum officium quod solebat fieri erga mortuos, et vidit lapidem non esse positum contra sepulcrum, neque respexit aut intuita est intus. Hoc refert sermo evangelistae. Festinavit tantummodo et attonita cucurrit ad discipulos. Et cum invenisset Simonem et Iohannem, qui scripsit haec, dixit eis: Tulerunt corpus Domini nostri, et ad locum alium quam priorem transtulerunt illud. Hoc audito, discipuli statim cucurrerunt disiderantes scire quid acciderit. Currentibus illis duobus simul, Iohannes praecucurrit citius Petro, at intus non intravit; inspiciens autem, vidit posita linteamina. Venit deinde Simon, et ingressus sepulcrum vidit uno loco iacere omnia linteamina, alio vero sudarium solum quod fuerat super caput eius. Providentialiter hoc fecit Dominus noster, ne putarent discipuli furtum aliquod commissum fuisse. Non enim corpus tantum quis furatus esset, relictis linteis in sepulcro. Quamvis tunc resurrectio menti humanae omnino incredibilis esset, ita tamen cogebantur illam coniectare, immo et credere. Ne autem deinde cogitarent, propter festinationem a furibus relicta esse linteamina, ordinate distribuit ea, in alio loco reponendo sudarium solum quod erat super caput eius, quod etiam prius accepit, et in alio loco * cetera linteamina; ut per haec omnia intellegerent, virtute divina inscrutabili, praeter exspectationem humanam, miro modo resurrexisse qui cruci affixus et secundum naturae infirmitatem etiam mortuus est; ipsumque accepisse vitam meliorem in corpore incorruptibili et anima immutabili. Proprio loco ergo posuit linteamina ac reliquit ea ut essent signa resurrectionis, quam iam ante passionem suam pluries praedixerat esse futuram. Insuper probavit se deinceps veste humana non indigere, quia in perpetuum asumpserat vestem sublimem et admirabilem immortalitatis. Post Petrum ingressus est etiam Iohannes, et ambo simul participes fuerunt huius visus. Addit autem: (v. 9) *Nondum sciebant ex Scripturis eum surrecturum esse ex sepulcro.* Pluribus hoc clare ostendit, discipulos ante resurrectionem

debilem opinionem de Christo habuisse, quam postea paulatim potuerunt recipere perfectam.

Discipuli ergo iterum reversi sunt ad domum suam. Maria autem, habituali suo amore erga Dominum nostrum mota, apud sepulcrum stabat plorans, quia non invenit corpus quod sepeliret. Dum ergo flebat, quod ex magno amore solet fieri, attonita respiciebat ad locum, ubi positum fuerat corpus Domini. Cum autem iterum inspiceret sepulcrum, — nam visus huius insaturabilis erat, — vidit duos angelos in [illegible] sedentes unum ad cervical et alterum ad pedes. Qui dix[illegible] ei: (v. 13) *Quid ploras?* Respondit: *Tulerunt corpus Domini mei, et nescio ubi posuerunt eum.* (v. 14) *Et cum hoc dixisset, conversa est retrorsum,* — speciali dispensatione gratiae hoc factum est, — *et cum videret Dominum * stantem, non agnovit eum.* Deinde et Dominus noster ita egit, ne subito et praeter spem videndo eum, quem adhuc mortuum opinabatur, percelleretur, putans illusionem quamdam esse daemoniacam; sed fecit ut prius et paulatem illi loqueretur tamquam homini; ut, postquam locuta est ei, eumque audivit, atque compertum habuit se cum vero homine loqui, tunc demum intellegeret quisnam esset, et simul crederet et eventus magnitudinem admiraretur.

Petit ergo etiam ille: (v. 15) *Quid ploras?* Illa vero existimans hortulanum esse, — proximitas enim horti causa erat cur hoc crederet, — incepit quaerere: Numquid tu sustulisti eum? Dic mihi ubi posuisti eum, et cum gaudio vadam sumere eum. Volens autem Dominus se manifestare ipsi, leni voce ac suavi vocavit eam suo nomine; et nomine eius pronuntiato, fecit se cognoscere. Ipsa vero, statim ac cognovit eum, gaudio magno vocavit eum magistrum; et cum vellet amplecti pedes eius, non permisit, sed dixit ei: (v. 17) *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Mos est Domini nostri ut, dum aliquid providentia sua praeparat, ex sensu verborum eius aliquid aliud facere videatur; ita fecit cum muliere quae fluxu sanguinis patiebatur[1]. Petebat enim: *Quis tetigit me?*[2] Hoc

1 Luc., VIII, 43 sq. — 2 Ibid., v. 45.

quidem sciebat; videbatur autem interrogare ignorans, ut quae cum tetigerat mulier timeret et miraculum manifestaret, fidemque suam proderet propter quam, ut par erat, sanationem receperat. Simili modo egit erga ficum [1]. Videbatur enim ira desiccare eam. In veritate autem ad ostendendam virtutem suam hoc fecit. Et si quis examinet, in pluribus aliis idem inveniet. Nostrum enim non est * omnia testimonia collegere, sed duo nobis sufficiunt in probationem omnium illorum quae dicta sunt. Ita ergo etiam hic. Quia primo sese ostendit mulieri post resurrectionem et ascensurus erat in caelum, volens iam docere discipulos non tantum in resurrectionem esse credendum, quia visus eorum de realitate factorum testatur, sed etiam ut scirent ipsum post resurrectionem in terra non remanere, sed ascendere in caelum gloriam magnam recepturum, apud Patrem, haec dicit mulieri, prout videtur, prohibens ne tangat eum; quasi non eodem quo solebat modo iam ad contactum corporis eius deberet accedere, longe videlicet iam alio ac multo praestantiore corpore effecto. Verus autem sensus hic est; quia per ea quae dixit, voluit simul cum resurrectione docere discipulos et ascensionem suam. Ipsum enim minime prohibuisse mulierem a suo contactu patet ex eo, quod discipulis dubitantibus semel et iterum se tangendum exhibuerit, et vulnera corporis sui, loco clavorum, iusserit palpare. Neque dicere possumus eam, quatenus mulierem, fuisse impeditam; nam pluries permisit ei tangere pedes suos; si igitur non potuisset accedere ad eum, quia mulier erat, etiam olim prohibuisset eam ne hoc faceret. Si vero prohibuerit mulierem quia corpus ipsius in meliorem statum mutatum erat, neque discipulis permitteretur tactu suo confirmare fidem suam circa resurrectionem eius. Numquid, si forte haec sicut illi dubitasset, non permisisset ei ut proprio contactu fidem suam comprobaret? Si vero quis dicat eum haud curasse nec de fide huius mulieris nec de eius incredulitate, hoc omnino apparet * ineptum. Si autem permitteret ei tunc accedere, numquid hanc mercedem fidei eius dedisset, ut eam a tactu suo privaret? At quomodo hoc non videretur odiosum, praecipue viris

* p. 349.
* p. 350.

[1] Matth., xxi, 19-20; Marc., xi, 13-14; 20-21.

sapientibus? Duo igitur his verbis innuit: tum quod corpus modo post resurrectionem potioris et excellentioris esset condicionis quam antea, adeoque non quomodocumque humano contactui exponendum; tum etiam quod futurum esset ut in caelum assumeretur, semper coniungendum Patri in honore.

Verba autem: *ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum*, nemo sic demens est, ut alii cuidam convenire diceret, nisi templo Dei Verbi, homini pro nostra salute assumpto, qui et mortuus est, et resurrexit, et ascensurus esset in caelos, et Patrem cum discipulis vocabat Deum, et ipse gratia adoptionem meritus; et Deum etiam (suum appellat), quia ab eo cum ceteris hominibus ut esset accepit. Unde propter communitatem quidem naturae *Patrem meum et Patrem vestrum* dicit, et *Deum meum et Deum vestrum;* divisit autem suam personam ab ipsis, indicans excellentiorem gratiam acceptam, propter quam coniunctus Deo Verbo tamquam verus filius ab omnibus honoratur hominibus. Illis auditis, venit Maria nuntiare discipulis se vidisse Dominum, atque illa sibi dicta esse. Hic est ergo ordo narrationis huius evangelistae.

Nunc autem verbis istis comparare debemus narrationem Marci, ut apparens discordia verborum eius videatur esse concordia. Haec igitur dicit: *Mane prima die hebdomadis veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem a * monumento. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida et obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expavescere* [1], etc. — Clarum est illud: *mane* haud concordare huic: *orto iam sole.* Mane enim vocamus momentum quo dies nondum incepit perfecte esse; indeque ergo clarum est verba: *orto iam sole* ad sequentia referri. *Mane* enim dicit illas venisse: cetera evenisse ostendit *orto iam sole,* omissa mentione eorum quae interim contigerunt, scilicet quod mulieres iverunt ad Simonem et Iohannem etc., quae evangelista Iohannes videtur

* p. 351.

[1] xvi, 2-6.

ordine narrare. Dum ibant enim et revertebantur, ac Maria
ibi stabat plorans, necessario sol oriebatur et dies incipiebat.
Ideo non erravit (Marcus), quia duo momenta posuit, illud
scilicet quo venerunt mulieres solae, et illud quo venerunt
alii. Ille enim qui non curavit describere eventus secundum
ordinem, sed eos breviter narravit, non poterat accurate indicare momentum quo singuli contigerunt.

Paucis ergo hoc peto: Dicant nobis qui conantur ostendere haec verba dissentire, numquid forte iocus sint verba evangelistarum, et nullus e mortuis resurrexerit, neque mulieres ierint aut aliquid viderint, neque verae sint narrationes quas scripserunt, sed fabulae et viles ineptiae compositae ab earum compilatoribus ad decipiendos homines? At quomodo potuerunt clare loqui non tantum de resurrectione, sed etiam de ipsa die qua mysterium resurrectionis evenit? Respondebunt forte: quia inter se convenerunt * et consenserunt haec fallaciter dicere. Sed quomodo tunc non videntur consentire in omnibus? Hoc enim facere debebant illi qui semel in se susceperant simul mentiri, timentes ne discrepantia proderet iniquam fraudem suam. Quanto magis enim sciebant se fallaces esse, tanto magis studuissent ne detegeretur fraus ex differentia suorum verborum. Et quod praetermitto: impossibile est ut qui talia falso fingunt, ab auditoribus credantur. Si enim veritas est dicenda, neque possibile erat, ut vera narrantes crederentur circa resurrectionem, nisi ad confirmanda verba sua signa manifesta facerent coram auditoribus suis. Si autem inter se conveniant quoad facta et quoad diem ac momentum, ac revera ordo tantum historiae differat, quatenus hic dicit haec et illa, alius vero istis addit haec, alius alia, — quod maxime accidebat apud illos qui non curarunt ordine narrare facta, — quomodo non omnino apparet et certa veritas factorum et sinceritas auctorum evangelii? Inde vero manifestatur praecipue et differentia temporis quo scripserunt et differentia regionum; Matthaeus enim in Palaestina rogatus est ut scriberet, Marcus vero Romae, Iohannes iterum Ephesi, Lucas autem alibi. Atque hoc tantum intendebant, scilicet facta narrare. Ac tanto remotiores erant ab artificio et dolo verborum, quanto certiores erant se dicere veritatem. Elegantiae autem sermonis cum ceteris quibus historia solet ornari a doctis, hi non * solum in verbis suis non studuerunt, sed ne capaces quidem erant, cum essent rudes.

* p. 352.

At revertamur ad narrationis seriem. Postquam illa dixit Maria ad discipulos et finem accepit dies primus, initium autem dies sequens...

Cum portae clausae essent propter metum Iudaeorum, improviso ingressus est Iesus ad discipulos et salutavit eos. Quia vero propter hunc mirum visum mente turbati erant ac timebant, sedavit eos voce « pacis »; atque ut solveret dubium eorum, credentium se phantasma videre, ostendit eis manus suas et latus. Sufficienter enim poterant agnoscere ex vulneribus, quae fecerant clavi in corpore eius, eum ipsum vere esse qui crucifixus est, mortuus est ac resurrexit, tactu confirmante visum et testante non phantasma, sed verum corpus sibi videri et adstare. Quia his omnibus firmiter et certo credebant discipuli vere surrexisse Christum, et ipsum esse qui cum eis loquebatur, gaudebant videntes hoc novum ac stupendum miraculum. Deinde verbo usus est ad confirmandos eos in fide et in gaudio; ideo addidit: (v. 21) *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Dicere vult: testes estis resurrectionis meae, quia non ab alio didicistis, sed oculis vestris vidistis et manibus contrectastis. Hoc ergo dico vobis: Sicut ego coram vobis testibus feci quidquid utile erat saluti hominum, adeo ut in fine etiam pro eis pati voluerim et resurrectione mea solverim regnum mortis prout videtis; ita oportet etiam vos, quia a me missi estis, cum voluntate bona * et assiduitate circuire mundum universum bona haec nuntiantes omnibus hominibus: atque confidite, etiam si mala veniant super vos ab inimicis, resurgetis et vos, quia propter me haec sustulistis.

* p. 354

Haec cum dixisset ad discipulos, volens docere undenam futura sit eorum resurrectio et undenam accepturi essent virtutem patientiae in laboribus et passionibus suis, primo insufflavit super eos, ac postea dixit: (v. 22) *Accipite Spiritum sanctum;* (v. 23) *cuius remiseritis peccata, remittuntur ei, et cuius retinueritis, retenta sunt.* His verbis docet eos quis horum omnium sit largitor et distributor. Insufflando vero, convicit eos, tamquam argumento, ne dubitarent; quia immo-

bile et inanimatum in principio creatum est corpus, recepit autem vitam, quam ex se non habebat, per ingressum animae quae insufflatione creata est, prout dixit beatus Moyses [1]. Postquam ergo primo insufflavit Iesus, deinde mentionem fecit de Spiritu, ut ostendat, sicut tunc nihil impedivit corpus quominus viveret, quamvis naturaliter non posset quod ingrediens anima dedit ei, prout voluit naturarum Creator, ita et nunc oportere eos credere hominum corpus per resurrectionem fieri incorruptibile, quia potens est Spiritus virtus hoc ei dare. Hoc ergo dixit eis: Omnino oportet credatis quae dicta sunt vobis, neque de resurrectione dubitetis, neque recusetis apostolatus honorem, timentes vos esse mittendos tamquam praecones doctrinae novae in mundo. Recipietis enim effectum Spiritus, qui tempore opportuno conferet vobis resurrectionem et immortalitatem. Per ipsum accipietis in hac vita virtutem valde miram et supernaturalem, * ita ut solo verbo inaudita miracula operemini, et ut valeatis leviter ferre etiam tribulationes supervenientes vobis ab adversariis praedicationis vestrae. Et quamvis plura essent operanda in eis per Spiritum, aliis praetermissis, dixit quod est maximum in argumentum ceterorum. Ecce, inquit, quod vobis clare demonstrabit virtutem Spiritus. Statim ac receperitis eum, poteritis solvere peccata cuiuscumque volueritis, sicut et contra quemlibet sententiam condemnatoriam proferre. Si ergo vos qui homines estis, recepto dono Spiritus, facere poteritis omnia quae solius Dei sunt, — ipsius namque est potestas iudicandi, — vobis relinquo cogitare quaenam sit Spiritus efficacia, qua recepta de nullo iam vobis dubitandum est.

* p. 355.

Hoc ergo: *accipite*, pro *accipietis* dicit. Si enim cum insufflasset, Spiritum dedisset discipulis, sicut quidam existimaverunt, superfluum erat dicere eis postea tempore ascensus ad caelos, non discedere ab Ierusalem, sed exspectare promissionem Spiritus. Et deinde: *Sed accipietis virtutem superveniente Spiritu sancto in vos* [2]. Et adventum autem Spiritus sancti super discipulos, aperte Lucas factum esse dicit quinquagesimo die post resurrectionem et [post] [3] ascensum.

[1] *Gen.*, II, 7. — [2] *Act.*, I, 8. — [3] « Post » supplendum e graeco.

Advertendum est autem et illud, quod si ab insufflatu suscepissent Spiritum, non diceret *accipite*, [sed, quoniam accepistis. Hoc enim quod dictum est, *accipite*,] [1] his convenit qui nondum acceperunt.

Quid sit insufflatio, supra iam diximus. Postquam enim creatum est corpus de se inanimatum, sufflando creavit Deus * animam, quam infudit in illud, et fecit ut per eam viveret. Manifeste vero beatus Moyses innuit insufflationem aliquid aliud esse. Deus enim non sufflavit, cum sit naturae incorporeae; sed talem opinionem habebant tunc homines, et praecipue illi qui in Lege instructi erant.

* p. 356.

Quando ergo post resurrectionem apparuit Dominus discipulis et probavit eis, illum ipsum esse qui loquebatur eis, qui et crucifixus est et mortuus et praeter opinionem resurrexit, voluit insuper quoad resurrectionem docere eos ne dubitarent, sed firmiter crederent futuram resurrectionem etiam sibi certam esse. Atque manifestans eis undenam futura sit haec res nova et mira, indicavit defensorem. Quia [2] ceu praedicatores praeparavit eos, atque contra praedicatores moventur certamina, persecutiones, tribulationes omnis generis a daemoniis simul et ab hominibus iniquis, induit eos virtute supernaturali, *qua possint omnia tela diaboli ignea extinguere* [3]. Ideoque insufflatione contulit eis donum, ut unus idemque Creator agnoscatur, qui in Adamo insufflavit spiraculum vitae, fuitque Adam in animam viventem [4], et qui nunc (insufflavit) in discipulos. Si illa prior sese extendit et fluxit iam per quinque millia annorum et amplius et adhuc fluit, necessario et haec altera durabit et fluet per tempora et saecula infinita.

Haec verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, pro *accipietis* dicit [5], in cenaculo. Ergo donum, insufflatione collatum, ad hoc tantum respicit, scilicet * ad potestatem ligandi et solvendi, prout eis videbitur. Haec erat adimpletio eorum quae Petro dicta sunt: *Tibi dabo claves regni caelorum* [6]. Oportebat eum talia

* p. 357.

[1] Uncis inclusa non occurrunt in textu syriaco, sed e graeco supplentur (*Patr. Gr.*, LXVI, 783-784). — [2] Cf. notam textus syriaci. — [3] *Ephes.*, VI, 16. — [4] *Gen.*, II, 7. — [5] Quae sequuntur non sunt iam THEODORI: cf textum syriacum ad h. l. — [6] MATTH., XVI, 19.

dona elargiri, ut scirent eum eiusdem naturae et substantiae esse ac Spiritum, qui daturus erat eis abundantem copiam donorum. Et propterea dixit: *de meo accipiet, et annuntiabit vobis*[1]. Sed considera quousque tendat haec insufflatio: *Quorum remiseritis (peccata, remittuntur eis); et quorum retinueritis, retenta sunt.* O dona vere mirabilia! Nam non tantum super elementa dat potestatem et virtutem faciendi signa et prodigia, sed etiam concedit ut Deus nominentur, et quod sibi soli proprium est dedit servis. Dei solius est enim peccata solvere et retinere, quod et Iudaei aliquando Salvatori obiecerunt, dicentes: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?*[2] Hoc sine invidia dedit timentibus se.

v. 26) *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis.* (v. 27) *Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* (v. 28) *Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus.* (v. 29) *Dixit ei Iesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt me et crediderunt.* Octo dies numerat narrator a die prima hebdomadis qua resurrexit, eisque apparuit nescientibus unde aut quomodo venerit. Et quia spiritualis surrexit e sepulcro, lucidus, subtilis et agilis, facile ingreditur per portas clausas et quacumque vult ine impedimento, quamvis non alius * surrexerit, sed ille idem qui mortuus est, in gloria tamen immortalium, nobis incomprehensibili nunc in praesenti statu. Et palpavit (Thomas) accurate et compertam habens veritatem factorum, confessus est culpam suam, dicens: *Dominus meus et Deus meus.* Quid? Cum Thomas antea nec crederet Salvatorem a mortuis resurrexisse, nunc vocat Dominum et Deum? Non est verosimile. Ecce enim Thomas, discipulus dubitans, non ipsum (quem tetigit) Dominum vocat et Deum, — non enim resurrectionis scientia eum docebat Deum esse eum qui resurrexit; — sed quasi pro miraculo facto Deum collaudabat, stupefactus propter miracula quae vidit. Ter data est gratia credentibus discipulis, in missione ad gentes, post resurrectionem et in Pentecoste.

[1] IOH., XVI, 15. — [2] MARC., II, 7; LUC., V, 21.

Beati qui non viderunt eum et crediderunt, id est, decem fratres tui et sodales in ministerio. Persuasum habeo et Scriptura testatur illos etiam credidisse postquam viderunt eum, minime vero antequam vidissent eum. Sed quia non tam audacter restiterunt neque dixerunt sicut ille: « Si non viderimus locos clavorum etc. », propterea non meruerunt vituperium. Hoc autem non minus fidenter extendendum est ad totam multitudinem credentium, qui non viderunt Salvatorem et tamen crediderunt in eum fide recta ex auditu.

v. 30) *Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.* (v. 31) *Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* His verbis ostendit evangelista innumera esse signa quae fecit Salvator coram discipulis. Insuper * testatur vera esse evangeliorum verba, illa scilicet quae ab aliis accurate fuseque descripta sunt et quae ipse omisit referre. Hoc verbo ostendit se haud despectu illa non recoluisse, sed manifestat verba eorum vera esse, atque sufficere ei qui cum fide accedit et considerat ea, et legit et intellegit. *Librum hunc* vocat beatus Iohannes evangelium a seipso conscriptum.

Dominus noster dixerat: *Nunc quod vidisti me, credidisti; beati, qui non viderunt me et crediderunt in me,* designans illos quorum firmitas est talis, ut crediderint in eum quin eum viderint. E contra aliquid maius adhuc istis adiungit evangelista, dicens: *Haec signa fecit Iesus coram discipulis, quae non sunt scripta in libro hoc;* id est, illa etiam quae scripta sunt, minime eius virtutem totam manifestant; nullus enim potest perfecte scrutari hanc magnitudinem; sed (scripta sunt), ut per haec omnia quod possibile est sciant homines.

Ita discipulis.

[CAP. XXI, 15]. — *Cum manducassent, dixit Simoni: Simon, fili Ionae, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Non audet simpliciter credere verbo suo, at illud committit scientiae Domini nostri. Cogitavit enim se antea dixisse, se animam suam pro eo ponere, Messiam vero reprehendisse superbiam verborum eius dicendo: *Ter me nega-*

bis[1]. Ideo huius memor bene respondit: *Tu scis,* id est: tu optime scis. Ecce enim et antea alia de me putabam; verba tua autem * apparuerunt vera; ideo nunc cautior sum. Dicit ei Iesus: *Pasce agnos meos.* Cum respondisset Petrus modeste voce dimissa, tamquam ad omniscientem et scrutantem profunda cordis et cogitationes animae, praefecit eum et posuit eum superiorem super agnos gregis suae, et dixit: *Pasce agnos meos,* id est, omnes illos qui verbis suis credunt in me, qui, propter recentem institutionem, sunt debiliores; et propterea oportet ut tollas onus eorum, foveas eos, consoleris infirmitatem eorum eosque nutrias gratia quae data est tibi. (v. 16) *Dixit ei iterum: Simon, fili Ionae, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce oves meas,* id est, viros perfectos consummatae sapientiae, qui tibi oboediunt in ordinatis gradibus Ecclesiae, in apostolatu, in sacerdotio, et in pastorali officio. (v. 17) *Dicit ei tertio: Simon, fili Ionae, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas;* rationales animas omnes, virgines sanctas, moniales iustas, uxores puras, modestas, mundas paenitentes, totum femineum coetum probati spiritus, cum omnibus viris honores tenentibus et simplicibus. Non dicit ei Salvator: ieiuna, neque: vigila propter me; sed, quod dignius est et utilius communitati, committit ei curam pastoralem animarum. Ego, inquit, nullo indigeo; pasce gregem meam, et retribue mihi amorem quo dilexi te; atque gratiam mihi debitam per haec retribues mihi, quia sollicitudinem tuam erga illos accipiam ego tamquam personae meae praestitam. Simon igitur non ausus est simpliciter respondere ei: Amo * te; sed dixit: *tu, qui es omniscius, scis quia amo te.* Cogitavit enim se antea dixisse, non tantum: *Numquam te negabo,* sed et animam se pro eo positurum. Dominus vero increpans eius superbiam, dixit: *Ter me negabis*[2]. Quapropter nunc respondit: Tu scis, Domine, ac scis melius meipso. *Et contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me?* Turbatus est Simon hac triplici quaestione et contristatus est, quia putavit Dominum, forte

* p. 360. * p. 361.

[1] Supra, XIII, 38. — [2] MATTH., XXVI, 33-35.

aliam negationem praevidentem, ipsum propter suas protestationes amoris deridere. Ideo aculeo tertiae interrogationis vulneratus, iustam agnovit Domini scientiam futurorum. Tu, inquit, scis. Ad praevidenda enim futura impotens ego visus sum; illa nescio. Tu es fons sapientiae, tu principium scientiae. Considerans autem eius augustias, Dominus dissipavit hunc timorem et obsignavit eius dilectionem sigillo eiusdem testimonii, eiusque confessionem confirmavit, vulneri negationis praebens remedium confessionis. Propterea enim exigebat triplicem confessionem, ut triplici vulneri negationis apponeret remedium triplex confessionis, et ut manifestaret coram discipulis ardorem amoris Petri; simulque ostendere voluit providentialem fuisse eius negationem et non tantum spontaneam. Per haec tria etiam tria illa certamina, quibus Satanas tentavit Simonem, ab huius anima amovit et sanctificavit eum. Similiter innuit ei, tres illas categorias gregis sui per triplex nomen confessionis Trinitatis baptizandas, sanctificandas et ad dominationem suam adducendas esse.

v. 18) *Amen, amen dico tibi: Cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes * manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* (v. 19) *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Cum viderit Dominus eum memoria praeteriti torqueri, seu cum viderit eum gravi ponderi et dolori subesse ob memoriam abnegationis suae, notum ei fecit quid passurus esset pro abnegatione sua. Ipse vero omnia commisit scientiae Domini nostri, qui, docens magnam futuram esse ei mutationem a primis ad posteriora, dicit: Noli quoad futura timere; nam scio talem esse sinceritatem firmam dilectionis tuae, ut pro me crucifigendus sis capite inverso. Et quia illud Domini dictum non erat clarum, ab evangelista explicatur: *Hoc dixit,* inquit, *significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Alius te cinget; quia qui hac morte crucis moriuntur, ligno alligantur. Quando a Nerone iussus est mori in cruce, rogavit carnifices ut crucifigeretur capite inverso, ita scilicet ut caput esset deorsum, pedes vero supra cruci affigerentur, ne propter identicam passionem simili modo (ac Christus) a simplicibus veneraretur. Deinde, cum docuerit homines adorare cru-

* p. 362.

cem Domini, ne litigiosis daretur locus obiciendi: « Quonam differt crux Domini a cruce Simonis? Ecce ambo eodem modo cruci affixi fuerunt »; propterea mutavit crucem suam etc.

Alius te cinget. Quia ille qui crucifixus est capite deorsum pedibus sursum, suspensus pendet in cruce, pedibus et lumbis accurate ligatis; dum illius, qui crucifigitur capite erecto, manus fortiter allegantur cruci, ne moriens delabendo * cadat a cruce. Haec vero: *ducet te quo tu non vis,* dicuntur, quia cruciarius necessario ab aliis ligatur ubi non vult. *Et cum hoc dixisset, dixit ei: Sequere me.* Dixit Salvator Simoni: Tu sequere me in eadem via passionis in qua ego passus sum, portans crucem tuam cum omni patientia et longanimitate.

* p. 363.

v. 20) *Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in cena super pectus Domini, et dixit: Domine, quis est qui tradet te?* Secreto providentiae consilio conversus est (Petrus); et vidit discipulum Iohannem, filium tonitrui, a longe, qui sequebatur tarde admirans promissa magna et sublimia Petro a Salvatore nostro facta. (v. 21) *Hunc cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?* Id est, quamnam mortem suscipiet pro te, et per quamnam viam bonorum operum veniet at te? (v. 22) *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* (v. 23) *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quia diu vixit Iohannes, id est septuaginta tribus annis post Salvatoris ascensum usque ad tempus Traiani, et quia post omnes apostolos mortuus est in serenitate et pace morte naturali, ideo ad hoc alludit Dominus dicens: Si volo ut tantum vivat, ut remaneat usque ad reditum meum, non est tuum hoc scrutari; tu vero attende quod tuum est, id est, cura opus tuum et sequere me.

v. 24) *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus quia verum est testimonium eius.* (v. 25) *Sunt autem et * alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Haec autem verba inde a:

* p. 364.

Sunt autem et deinceps, dicit Interpres non esse Iohannis, sed alius cuiusdam.

Et hic finem facimus tractatui septimo, quo explicit et completur liber hic utilis explicationis citharae Spiritus, theologi Apostoli caelestis, amici Domini gloriae, Mar Iohannis iunioris, concinnatus ordinatis capitulis et articulis variis, logico modo, examine praeciso, ab Interprete universali et doctore perfecto, Mar Theodoro, lumine Ecclesiae christianae.

Preces eorum sint murus universo. Amen.

CITATI TEXTUS BIBLICI

(*EXCEPTIS EVANGELICIS*)

[1] *Psalmi* hic secundum Vulgatam latinam citantur.

INDEX PRAECIPUORUM NOMINUM

INDEX HUIUS TOMI

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM SECUNDUM IOHANNEM.